IACOBI SCVTELLARII MEDICI PARMENSIS

IN LIBRVM HIPPOCRATIS DE NATVRA HVMANA, COMMENTARIVS.



Nunc primum in lucem editus.






PARMAE
Apud Seth Viottum. 1568.



ILLVSTRISSIMO
ATQ. OPTIMO PRINCIPI OCTAVIO FARNESIO, PARMENSIVM, PLACENTINORVMQVE DVCI II.



IACOBVS SCVTELLARIVS F.P.D.



I QVOD eſt inter Illuſtriſſimum Principem, ac hominem infimi ordinis diſcrimen recte perſpicio, Illuſtriſſime, idemq. optime Dux, nō ſolum audaciſſimi nomen, verum quam maxime impudentiſſimi notam, apud omnes me ſubiturum vndequaq. pertimeſco; cum in hac mea lucubratiuncula nomini tuo excellentiſſimo dicanda, eminentiſſimi inter omnes Principis nomen humili huic opuſculo praefigere haud veritus ſim. Quamobrem haeret non modicum animus meus, atq. eo maxime, quod nullo vnquam a me Excellentiae

tuae praeſtito officio, nulla animi ſignificatione exhibita, videor nunc mihi ipſe nullo iure hoc mihi temere arrogare. Verum cũ diligentius mecum ipſe cogito, te ex diuina illa heroum gente ortum, qua nulla vnquam alia, omnium ſaeculorum memoria, vel in ſuſcipiẽdis benigne ſtudioſis viris, beneq. de re litteraria meritis, propenſior fuerit; vel in excolendis omnibus illis artibus, quae tum quod ſua natura tales, tum quod non niſi liberis hominibus conuenire vidẽtur, liberales meriro nuncupantur; promptior extiterit; omnis prorſus animi mei haeſitatio tollitur. Sed cur quae multis aliis communia ſunt connumero? quidni potius egregias animi tui dotes, tibiq. vni peculiares, percurram; ac quae reuera me animatum hac in re reddiderunt non ennarrem? Cum igitur animaduerterim, praeclariſſimas quaſq. praeſtantiſſimaſq. virtutes, quae in te vno cumulatiſſime cernuntur, ſola humanitate, benignitateq. vinci, ac ſuperari; quibus non modo te praeſtantiſſimum Principem, ſed quam ſimillimum Deo opt.max. vndequaq. oſtendis; non dubitaui, etſi homuncio plane ob-

ſcurus munuſculum hoc, quamtulumcũq. ſit, Illuſtriſſimae Excellentiae tuae offerre, illudq. pariter praeclariſſimi nominis tui inſcriptione inſignitum edere, quo tam quam vallo aduerſus calumniatores quoſq. fulciretur. Perſuaſus hac in re non leuibus argumentis, te benigniſſime illud, tãquam maxime tuae dignitati conueniens, excepturum. ſiquidem ſi excellentiſſimam tractationem ſpectamus, qua de natura hominis diſſeritur; non niſi excellentiſſimo viro conueniebat. ſi ad auctorem primum mentem adhibuerimus, cum is fuerit Hippocrates omnium homnum ſapiẽtiſſimus, non niſi ſapientiſſimo Principi cõgruebat. Quis praeterea offerentis perſonam reſpiciens, non animaduertit me vt grauiſſimi criminis reum merito accuſandum, ſi in proferendis hiſce ingenioli mei primitiis, alienis, non patriis, numinibus eas conſecraſſem? His itaq. validiſſimis rationibus muniti tenues hi labores mei coram Illuſtri ima Excellentia tua comparere non verebuntur. Quod ſi non ingratos eos tibi extitiſſe, intellexero, totis neruis in poſterum contendam vt meliora quandoq. tua prae-

ſentia digniora offerre poſſim. Vale interim Principum optime; meq. inter nominis tui obſeruantiſſimos, tibiq. deditiſſimos adſcribere velis.

LECTORI S.



XPOSITIONEM hanc in librum diuinissimi Hippocratis de natura hominis, duobus his annis praeteritis, cum plurimū otij nactus fuissem ut ingenioli mei quo quo pacto periculum facerem, conscripsi. Quare cum eo deuenerit res, ut non tantum me uoti compotem factum; uerum & doctissimis quibusdam uiris, quibus eam uidendam tradideram, probari, laudariq. persentirem; decreui, quae de ea omnium futura sit sententia, experiri. ut si minus probabitur, quid contineat erroris, ab ijs doceri, qui hanc nostram facultatem optime callent, possim. Ea enim sum adhuc in aetate constitutus, ut ab omnibus discere, nedum a doctissimis uiris, minime mihi dedecori ascribi possit. Sin autem commendabitur, ut, alacriori in dies animo, non nulla alia, quae mihi sunt in animo, exarrare audeam. Quibus autem rationibus adductus commentarios potius, quam aliquid aliud conscripserim, cum multis alijs modis aliquid proprium scribendo me ipsum exercere potuissem; pleriq. quaerere poterunt. Sciant hi me duo potissimum ad hoc compulisse: tum doctissimorum uirorum exemplum, qui omnibus in facultatibus praecipuos illarum artium scriptores tā quam magistros explicarunt. tum Galeni dicta .ij. de tuenda ualetudine libro. ubi haud facile esse ueterum libros intelligentia consequi, si desint, qui eos curiose ennarrent, nos admonet. Cur autem hunc potius, quam alium librum sim interpretatus; qui eum legerunt, & quantum faciat, non modo ad medicam artem, uerum ad totam de natura excultiorem scientiam, rerum, quae in hoc libro traduntur cognitio, sciunt; id numquam exploraturos esse certo scio. In explicanda uero Hippocratis mente, duo tantum mihi proposui seruanda; praecepta, scilicet, quae a Galeno in exponendis libris seruanda, uarijs in locis, tradita fue-

runt; & doctissimorum neotericorum in libris Hippocratis inter pretãdis stilum, ac consuetudinem. Et ut a praeceptis exordiar; cum scripserit Galenus tum in commentarijs de articulis, tum & libro de ratione uictus in morbis acutis; proprium, ac principale munus expositoris esse, dictiones in primis prosequi, & eas uberrime exprimere; eo semper ante omnia orationem direximus, ut nequaquam ab expositoris officio desistere uideremur. quare dictiones, & uerba, ubi res ita postulabat, quae ex se obscuriora essent, declarauimus, explicauimusq. In qua re peragenda, ita nos tamen gessimus ut non semper (quod Grãmaticorum munus esse uidetur) circa uerba immorati simus. sed etiam & expositionem nostram, tum Hippocratis, & Galeni; tum praeclarissimorum aliorum testimonijs corroborauimus, confirmauimusq. docti a Galeno, qui libro de Comate tradidit, boni expositoris officium esse, considerare non solum an ratione probabili, aut uera exposuerit; sed etiam an auctoris mentem, quod dixit obtineat. Insuper quandoq. etiam, quae dixit Hippocrates obtinere ueritatem monstrauimus, & longiori forsan oratione, ac pluribus uerbis, quam expositoribus cõueniat; id tamen moniti a Galeno fecimus. Siquidem iij. aphorismorum libro Licum damnauerit; qui in ennarrando eo libro, praeter expositionem uerborum, ubi demonstrationibus indigebant Hippocratis dicta, ne uerbum quidem fecerit; cum tamen eas esse adiungendas res ipsa expostularet. quod postmodum Galenus ipse doctissime perfecit. Postremo cum duas esse expositorũ uirtutes, ut & libri seruent sensum & commentariorum suorũ lectores, quae conducant, doceant; scriptum reliquerit idem Galenus libro primo de morbis uulgaribus, cui unquam mirum uedebitur, si ego quandoq. extra expositionem, non extra rem tamen, non nulla ex mente propria, & ex meo tantum censu comparata, dixerim? uel aduersus alios ueritatis amore commotus aliquid scripserim? uel in conciliandis Hippocratis, & Galeni dictis, aut inter se se, aut cum alijs auctoribus aliquantisper immoratus fuerim? Ad quod alacrius peragendum, exempla ubiq. apud Galenum obseruata (quae breuitatis caussa omitto) magnopere me impulerunt. Haec igitur


quantum

quantum ex Galeni dictis extrahi poterunt praecepta, nobis in initio nego tij seruanda, proposuimus; quaeq. penitus attingere omni studio, ac omni diligentia connati sumus. an uero rem consecuti simus, nec ne; iudicio doctissimorum hominum reliquendum puto. Quam uero ex neotericorum scriptis utilitatem acceperim, nunc explicandum uenit. Cum igitur uarios, ac diuersos uiderim, tum in alijs facultatibus, tum maxime in medicina exponendi modos, illum semper miris laudibus extolli a doctissimis quibuscunq. uiris audiui, quem seruarunt nonnulli in interpretandis Hippocratis libris illis, qui a Galeno prius ennarrati fuerint, ut, scilicet, si quid obscurum apud Galenum in eius expositione inueniretur, minime silentio inuoluerent moderni explanatores. quam ob caussam, laborem hunc nostrum hac utilitate carere minime passi sumus. Vbi igitur ita necessarium esse cognouimus, Galeni expositionem minime intactam relinquere uoluimus. quare modo eam exposuimus, modo corrupta uerba animaduertimus, quandoq. etiam ad optimam lectionem eam restituimus, ac multa alia in eadem gessimus, quae suis locis legentibus ultro se se ostendere poterunt. Ab eisdem modernis explanatoribus didicimus ut uerborum Hippocratis uersiones, ubi opus esset, quandoq. perponderemus; quod quidem inuito genio fecimus; ne uirorum de re litteraria optime meritorum, in re leuissima sudores carpendi occasionem quaerere uideremur. Verum cum tot, ac tanti fuerint, qui hunc librum in latinum sermonem uerterint; cumq. quandoq. uarij, ac diuersi resultent sensus, non potui non uel meliorem indicare uersionem; uel suspectam con notare. Huc accedit, quod quandoq. nonnulla uerba fuerunt interiecta ab interpretibus secundum propriam mentem, quae maximum negotium facere lectoribus poterant; adeo ut Hippocratis uerborum intellectus alius efficeretur, quae non potui non iudicare expungenda esse. Quae omnia, non ut ex aliorum calumnijs, existimationem mihi compararem; sed ut ueritatem (cui nihil anteponendum censent quiq. optimi uiri) sectarer, ac defenderem; dicta credant humanissimi lectores. quod & opto, & spero. Haec sunt igitur quae & ad scribendum, & ad hoc genus

scribendi, & ad modum in eo seruatum, breuius quo fieri poterat, dixisse uolui. Si quid autem boni in hoc labore nostro candidi inuenerint lectores, id totum duobus clarissimis, & de re medica bene meritis uiris in primis referendum esse, sciant. quorum iudicium; antequam ad editionem deuenerim, consuluimus. ex ijs alter fuit integerrimus, & undequaq. doctissimus Scipio Cassola Illustriß. & Exc. Octauij Farnesij magnanimi Principis nostri, non immerito medicus: alter uero extitit grauissimus, & excellentissimus Bernardinus Paternus, qui in Patauina Academia artem medicam summa cum sui ipsius laude, ac honore profitetur: Quibus quidquid boni diximus in hoc opere, ne dum acceptum iure refero, uerũ eis perpetuo me deuinctum, & destrictũ profitebor, ac praedicabo. Ambo enim, qua sunt erga me humanitate freti, illud legere, lectumq. perpendere, ac perpensum castigare minime dedignati sunt. Illos uero tum pluribus alijs de caussis ellegi, tum praecipue ob id, quod libellum hunc, qui nouitate excitare, breuitate delectare habet; horum auctoritate uirorum, ut quandoq. persuadere possit, sperem. Vale.

IACOBI SCVTELLARII IN LIBRVM HIPPOCRATIS DE NATVRA HVMANA

PRAEFATIO.





NE AB ANTIQVISSIMA ILLA, acpene omnibus acceptatiſſima conſuetudine recedamus, qua illud apud quemq. bonarum artium expoſitorem comparatum eſt, vt priuſquam ad alicuius libri explicationem ventum ſit; non nullarum rerum ennarretur cognitio (Graeci vocant προλεγόμενα) quae ad abſolutiſſimam intelligentiam maxime conducere videtur; hanc ob cauſſam & nos, antequam ad interpretanda Hippocratis verba deueniamus, quae prius percipi debere in hoc libro duximus, explicare aggrediemur. quod quidem vt quam breuiſſime fieri poſſit expediemus, ea quattuor capitibus perſtringemus. Primo enim de materia libri, (quam ſubiectum vulgo vocãt) ſecundo de inſcriptione; tertio de vtilitate; vltimo inter quas medicinae partes connũerandus ſit, explicabimus. horum autem omnium, hinc ſumpto initio, cognitionem trademus. Naturae nomen cum multas tum apud philoſophos, tum apud medicos habeat ſignificationes; cũq. inſcripſerit Hippocrates librum hunc de natura humana, non paucam hoc nomine dubitandi rationem merito omnibus praebuit. ſed quod longe maiorem parit ambiguitatem, illud eſt. quod cum antiquorum quamplurimi, & etiam noſtri temporis ſcriptores, & hoc eodem

communi titulo, & alijs inscriptionibus de hominis natura tractauerint, in re tamen quam maxime dessidentes deprehenduntur. Plato si quidem (ab hoc libuit mihi initiari, vt pote ab antiquiore post Hippocratem) Alcibiadem primum de natura hominis inscribit; in tractatione vero de anima tantummodo loquitur: ostendens eam hominem esse, corpus autem eiusdem veluti instrumentum. Inscripserunt & nonnulli alij libros suos de natura hominis, inter quos fuerunt Prodicus Medicus, Nemesius Philosophus, & Neoterici nonnulli. Hi quidem proprietates gentium quasdam, aut mores aliquot inauditos contemplantes, haud veriti sunt libros suos honorificentissima inscriptione insignire. Nemesius vero & de intellectu, & de sensibus agens, nonnullaq. religionis nostrae interserens, librum de natura hominis edidit. Prodicus autem, si coniectari licet, cum is fuerit medicus, forsan non dissimili modo ab Hipp. de homine verba habuit. Verum quanto breuiori numero clauduntur hi, qui eadem inscriptione vsi, diuersimode de natura hominis scripserunt; tanto plures fuerunt illi, qui alijs nominibus eãdem sunt aggressi tractationem. Aristoteles enim in libris de Historia, de partibus, & de generatione animalium, alijsq. in locis quamplurimis, infinita de homine, eiusq. natura tradit. Galenus vero & ipse, tum in libris de vsu partiũ, de facultatibus naturalibus, de elementis; tum & in omnibus libris anathomicis, & ceteris omnibus fere alijs operibus suis, non nisi de hominis natura loquitur. Quot demum antiqui, quot nostri temporis, & anathomen scribentes, & quouis alio modo de humana natura locuti sunt? infiniti propemodum. Quibus omnibus de caussis, non immerito quis suspicari poterit, quo nam pacto Hippocrates tractauerit de natura hominis hoc in libro, quo modoq. naturae nomen in eo acceperit. Cui breuissime responsum sit, eum, qui non solum medicus, sed medicinae numen, ac veluti Deus exstitit, non alio pacto de ho-

mine tractasse, quam quod homini medico conueniat naturam eius dignoscere. Quae eidem in hoc libro nil aliud significat, quam propinqua elementa, principiaq. corporis nostri. Cum enim animaduertisset Hipp. necessario medicum, vt recte artis operibus insistere possit; quae nam sint principia hominem componentia, ex quibus tum dolet, tum sanus est, firmissime scire, (quo nam enim pacto corporibus mederemur, si intrinseca eorundem principia ignoraremus; siq. numquam an alterabilia, an ialterabilia sint, disceremus?) idcirco operaepretium facere duxit, si particulari tractatione de eiusmodi principijs intrinsecis sermonem haberet. quod quidem non minori cum dignitate, quam cum vtilitate, hoc in libro praestitit. Probat igitur Hipp. in hoc volumine quattuor humores corporis nostri elementa propinqua, & particularia esse; quae etsi cum animalibus sanguineis sint communia; tamen quoniam medici officium ob dignitatem non extenditur ad irrationabilia, ea hominis particularia appellauit; eiusq. naturam haec eadem esse affirmauit. Verum quoniam particularis cuiusq. rei essentia, absq. communi omnium natura percipi non valet, vt Plato ex Hipp. ait; idcirco & in inquirenda hominis propria natura, Hipp. de communi omnibus generationi, corruptioniq. obnoxijs corporibus, locutus est hoc eodē in tractatu. quam statuit ex calido, frigido, humido, & sicco; siue ex igne, aqua, aere, & terra constare. Agit igitur principalissime Hipp. & ante omnia de humoribus, quatenus dicuntur esse elementa particularia, ac propinqua, ex quibus componitur homo; & ex quibus tum dolet, tum sanus degit. Secundo, vero de omnium communi, & vniuersali loquitur. Nec quis credat, sola ea ratione humores considerari in hoc libro ab Hipp. qua materia partium similarium primo, deinde aliarum sunt. quia ex eo, quod sanitatis, & aegritudinis in eos omnem caussam refert Hipp. nobis subiudicauit, quatenus habēt in se

principia agendi, & patiendi; quattuor, scilicet, qualitates primas, eosdem contemplari. quamobrem rectius explicatiusq. libri huius propositum assignabimus, si humores, quatenus sunt principia hominis intrinseca, tũ agentia, tũ formalia, tum materialia in hoc libro perscrutari, dixerimus. Nihil enim est in corpore humano, quod medici humoribus non tribuant. Sed statim insurgit dubitatio Galeni, cur potius non inscripserit opus istud de elementis, quam de natura hominis. At & hanc eandem nullius momenti iudicauit Galenus quaestionem; cum praesertim omnes antiquos de elementis tractasse cernamus; & tamen libros suos inscripsisse de natura. cũq. uideamus Aristotelem in libris de coelo inscriptis, non minima illorum librorum parte, tractationem de elementis perscrutatũ fuisse. Verum ut non male, ita nec impropriè inscriptionẽ huius libri de natura hominis fecit. Siquidẽ si grauissimorum Peripateticorum auctoritati stare voluerimus, eandem & iudiciossimam iudicabimus. cum materiam, formamq. rerum naturam earundem appellent. Quare cum humores humani corporis materia, formaq. sint, vt in eo exponẽdo uidebimus; ideo & recte natura hominis nuncupari poterunt. pariterq. liber, qui eorundẽ tractationem habuerit, de hominis natura inscribi poterit. qualis est hic, quem prae manibus habemus. Cuius utilitatem praeter scientiam de elementis, de humoribusq. ad duo alia extendi medici munera, testatum reliquit Hippocrates. nam & ad curationes, & ad praedicẽdum maxime medico usui fore pronuntiat. Quantum enim elegãtiores sint qui recta ratione medẽdi artẽ tenẽt, ijs, qui uel solo experimento, uel quouis alio modo medentur, ex medicorum omnium libris maxime patet. Medicus uero si prouidentia uti optime calluerit, & curationes rectius moliri; & existimationem immortalem apud omnes sibi comparare poterit. Ad quam uero medicinae partem reducatur, nemini non est apertum. Siqui

dem totus in inquirenda hominis natura uersetur: qua ratione etiam totus ad phisiologiam attinet. Quod Erotiani uetustissimi scriptoris Graeci testimonio clarissimũ euadit. qui lib. de obsoletis apud Hippocratem uocibus, illum inter caussatiuos, & naturales connumerat. Hac uero ratione progreditur Hippocrates. primo enim disputat aduersus antiquos hominem vnum quippiam nequaquam esse. deinde quae sint ea, quae eundem componũt principia inuenit: cumq. inuenerit eum ex pluribus constitui, nihil de componentibus prncipijs asserit, quod aut signis, aut demonstrationibus non comprobet; comfirmetq. Quae cum ita sint, non immerito dignus euasit hic liber, vt illum duplici expositione illustraret Galenus: vtq. tot ac tanti de re litteraria optime meriti viri in latinam linguam illum verterent. Siquidem & M. Fabius Caluus, & Germanus Interpres, qui omnia Hippocratis opera transtulit, & Ioannes Guinterius Andernacus, & Andreas Brentius, & Nicolaus Macchellus, & Victor Trincauelius, & nouissime omnium Ioannes Baptista Rasarius eundem interpretati sunt. Trincauelij vero versionem Commentariolo nostro apposuimus, vt pote, quae a celeberrimo, doctissimoq. medico exarrata fuerit. Haec pauca, quibus tamquam fundamentis iactis vtemur, dicta sufficiant.

PRAEFATIO.

[illegible] Græcorum [illegible] principijs finit, quidam [illegible] iudicis non [illegible] quod [illegible] ratis coepit, & [illegible] & Antiq [illegible] Victor. Tertullianus [illegible] quidem [illegible] verò [illegible] Cum [illegible] Hæc pauca [illegible] virtutes, circa [illegible] cæteræ.

HIPPOCRATIS COI DE NATVRA HVMANA LIBER.



Victore Trincauelio interprete.

I.

QVICVNQVE eos consueuerunt audire, qui procul ab eo de natura humana loquuntur, quod ad medicinam attinet; illos non expedit hunc audire sermonem. Neque enim dixerim hominem omnino esse aerem, neq. ignem, neq. aquam, neq. terram, neq. aliud quippiam: quod in homine unicum esse non appareat. Ego uero eos, qui haec dicere uoluerint, dimitto.

IACOBI SCVTELLARII IN EVNDEM COMMENTARIVS.

SI quis inter Hippocratis libros omnium hominum lectione dignus existit, is profecto est liber, qui de natura humana inscribitur: tum ob excellentissimam tractationem, qua totius medicinae fundamenta iecisse dicitur Hippocrates; tum ob diuinissimam methodum, qua, inter ostendendum dogma suum de humana fabrica, in eo vsus est. Quae quanti facienda sit, vel illo solo argumento omnibus quam facillime innotescere potest; quod diuinus Plato non alia ratione, animae naturam inuestigandam esse, in Phaedro iudicauerit: quodq. pariter Aristoteles philosophorum omnium, quot quot extiterint, non immerito princeps appellatus; in inueniendis, constituendisq. rerum naturalium initijs, non alio, quam hoc Hippocratis artificio, vsus fuerit, in diuinissimo illo opere, de physica auscultatione. quod & Galenus memoriae tradidit; & res ipsa comprobat, con

firmatq. vt ſuis locis quandoq. notabimus. Ab hac igitur diuiniſſima methodo expoſitionem noſtram exorſi, eam, qualem a Galeno deſcriptam accepimus, in primis ponemus. deinde conſilium noſtrum, in contexendo hoc commentariolo, rationem aperiemus; vt exinde ad rem, non abſq. arte, deuenire poſſimus. Hanc vero Galenus in calce commentariorum huius libri, his verbis deſcripſit.

vltima expo. Hippocrates cum propoſuiſſet in hoc li-
» bro naturam noſtri corporis inuenire, hac methodo ad
» inuentionem eſt vſus. Quaeſiuit enim primum, num
» ſimplex ſit, multiplex ue. Dehinc cum inueniſſet, quod
» multiplex: in ſimplicibus, quae in ipſo eſſent, conſide-
» rauit eſſentiam, qualis nam eſſet: hoc eſt, quamnam fa-
» cultatem haberet ab aliquo patiendi, vel agendi. & ob
» id tempeſtatum meminit, & aetatum. conſiderans quo
» modo inuenta elementa ſe haberent erga ipſas. Et inue-
» nit quidem quod ad huiuſcemodi ſcopos referre opor-
» tet, tum praedictiones ſolutionis morborum, tum etiã
» curationes. Interim vero dum quaereret elementa,
» quibus componitur noſtrum corpus, elementorum to-
» tius fecit mentionem.

Totam hanc verborum ſeriem, quibus Galenus deſcripſit methodum Hippocraticam in hoc libro contentam, annotare volui; vt percepta integre Hippocratis mente, facilior euadat intelligentia vniuſcuiuſq. contextus. In quorum expoſitione primũ haec Galeni verba notare memori animo debemus, tanquam breue quoddam exemplum, & argumentum totius libri; vt oſtendere poſſimus, ne minimum quidem Hippocratis verba a propoſita methodo aberrare. idq. faciemus in ſingulis partibus, vbi opus fuerit. Deinde, ſi qua verba erunt obſcura, declarabimus. & vbi Hippocratis oratio plures ſenſus recipere poterit, quem nam verum nos eſſe credamus, monſtrabimus. Tum ſi vlla videbitur in dictis ipſius Hippocratis, aut cum Gal. aut cum alijs auctoribus controuerſia, in medium po-

netur. Si qua autem erit in nobis ingenij vis, eandem (modo istud salua re nostra fieri possit) e medio tollere nitemur. Postremo si quid in expositione Galeni vel obscurum, vel annotatione dignum, inuenerimus; & exponere, & annotare studebimus. Neq. enim vbiq. totam commentationem Galeni ad examen adducemus: tum quia vanum esset, velle lucem ijs, quae ex se clarissima erunt, addere: tum ne videamur ex eorum numero nos esse, qui dum modo magna conficiant volumina, quidquid ex eorum ore exciderit, nihili faciunt: nec pudet eos vana effutire. Ad rem igitur deuenientes, primo videndum est, nunquid verba Hippocratis methodo, quam descripsit Galenus, correspondeant; & an methodus verbis consentiat. quid ait Galenus? Quaesiuit enim » primum num simplex sit, num multiplex. hoc est, pri- » mum, de quo verba fecit Hipp. in hoc libro, illud fuit, an homo esset simplex; scilicet, an constaret ex vna tantum re: an multiplex: quod est, an multa sint, quae concurrunt ad constitutionem humanae naturae. Hippocratis igitur consilium ad hunc solum scopum tendere videbimus, si altius ipsius mente repetita, alijs verbis ac ipse fecerit, rem hanc declarabimus. Duae igitur fuerunt de humana natura, ac de eius constitutione antiquorum opiniones, quae maxime inter se opponebantur: quarum vna erat eorum, qui affirmabant hominem vnum tantum modo esse. hoc est, tantum modo rem vnam naturam humanam vndequaq. constituere. Altera vero huic omnino contraria, de qua post modum dicturi sumus, hominem multiplicem statuebat. idest, plura eius naturam perficere, & absoluere affirmabat. Rursus prima in duas diuidebatur. quarum primam philosophorum fuisse dicit Galenus, alteram vero medicis ascribit Hippocrates Ex philosophis igitur non pauci fuerunt, qui hominem dixerunt vnum tantum modo esse elementum. quamobrem alij ignem, alij aquam, nonnulli aerem, aliqui

vero terram hominis naturam statuebant. & hi sunt quos Hipp. dixit tractasse de natura humana, procul ab eo, quod ad artem medicam spectat. cur autem id dictum fuerit, post modum videbimus. Medici pariter sicut & philosophi, & forsan ad eorum aemulationem, & imitationem, hominem ex vno tantum constare humore affirmabant. quorum alij sanguinem, aliqui bilem, non nulli pituitam, humani corporis principium autumabāt Cum igitur Hipp. senserit hominem multiplicem, & non vnum esse; vt videbimus; ante quam id demonstrandum susciperet, necessario falsas has opiniones destruere debebat. quod quidem in primis totius huius voluminis verbis praestat. hacq. in re talem ordinem seruat. primo opinionem, quam diximus philosophis a Galeno ascriptam fuisse, proponit: tum statim reprehendit. leuius tamen, quam medicorum dogma, refellit. huius autem ratio in promptu est. non enim ita dedecebat, medicae artis imperitos, aliquid praeter artem medicam scribere; vt ipsos met medicos in eadem arte aberrare. In hoc itaq. primo contextu hanc opinionem proponit. in sequenti vero, eam quoquo pacto redarguit. Secundo loco, simili pacto, medicorum sententiam in medium affert; deinde eam increpat. demum longa oratione disputat hominem haud quaquam vnum esse. His igitur sic se habentibus, vnicuiq. iam manifestum erit, methodum a Galeno descriptam, omnibus numeris, ab Hipp. fuisse obseruatam. nihil enim aliud est, reprehendere sententias eorum, qui dicebant hominem esse vnum tantum, siue elementum, siue humorem; aduersusq. eorum sententias argumentari, quam hominem affirmare esse multiplicem. Et hoc modo Hipp. quaerit, an homo sit simplex, vel multiplex; non secus ac a Galeno dicitur. Ceterum horum opinionibus reprobatis, concludit post modum, humanum corpus componi ex quattuor humoribus. Primum igitur quod polliciti sumus, manifestum

apparet. quod, scilicet, in hac parte, an homo sit vnus, vel plures, methodus descripta a Galeno nihil differt a verbis Hipp. quodq. verba eius, eandem penitus obseruant. Hoc eodem artificio Aristoteles Hippocratem imitatus lib. j. Phys. numerum principiorum naturalium venatur. Ex eo enim quod principia necessario aut vnum, aut plura sunt; antiquorum sententias enumerare, & confutare congruum videbatur, occasione sumpta, qua suam sententiam statuere posset. Modo accedamus ad verba.
Quicunque eos. &c. In hoc textu explicando, primo quaerendum esset, qui nam fuerint hi, qui praeter medicinae institutum, tractauerint de humana natura. Verum quoniam Galenus id scire paruifecit, ideo & nos id missum faciamus. Et eo maxime, cum ex eiusdem Hipp. verbis, in secundo contextu, omnino appareat, has opiniones in disputationibus suo tempore viguisse; & in hominum contentionibus, quae quandoq. accidunt, hinc inde versatas fuisse. Hinc verissimile admodum summitur indicium, Hipp. potius, opinionem suo aeuo verbis, & hominum controuersijs agitatam, quam monumentis litterarum demandatam, reprehendere. Sed dubitabit quis hoc in loco, numquid aliquis antiquorum; (de philosophis loquor, quorum opiniones ad nos peruenerunt) posuerit hominem constare ex vno tantum quattuor elementorum. cum praesertim neq. hic ex Hipp. colligatur neq. alicubi legatur, has sententias aliquibus eorum fuisse adscriptas. j. enim Phys. & j. de ortu, & interitu, & in prooemio methaphysices, recitantur ab Aristotele opiniones antiquorum, qui de natura philosophati sunt; & tamen nullibi fit mẽtio de ijs, quos, hoc in loco, Hipp. redarguere videtur. neq. apud Platonem, apud quem, tot, ac tantae extant antiquorum sententiae; habetur aliquid, quod hoc confirmare possit. Facile possumus respondere, & maxime Auerroem imitantes, & insequentes. Qui j. Phys. hanc eandem proposuit dubitationem

6.&.7. expo. de principijs naturalibus. Nam, inquit ipse, philosophi aliqui locuti sunt de ente, & dixerunt, omne ens esse vnum: vt Parmenides, & Melissus. nemo tamen eorum vnquam quidquam de principijs verba habuit. Ad hanc quaestionem respondet Auerroes re vera neminem fuisse qui hoc adeo clare, & explicite dixerit; vt ponitur ab Aristotele: ipsi tamen pro ente intelligebant principiũ. vt patet ex illo loco; & clarius ex eodem libro paullo inferius quo in loco, cur ita locuti fuerint, doctissime explicat. Hoc modo possumus in praesens dicere; neminẽ re vera hoc adeo aperte dixisse. verum quia vnum esse omnia dicebant, ideo & hominem vnum esse necessario affirmabant. cum maxime dicat Auerr. j phys. nullum esse discrimen inter orationem asserentem, omnia esse vnum; & omnia esse vel vnum equum, vel vnum hominẽ. Vnum autem dicebant esse omnia, quia praeter materiale principium, nullam aliam cognouerunt, neq. admisserunt in rebus caussam; nec quippiam aliud dari concedebant. vt habetur. j. metaphysices, & ab Auerr. j. & ij phys. & ij. de anima; & alibi. quorum alij hanc materiam vnam, alij multiplicem posuerunt. Qui igitur eorum omnium vnam dixerunt istam caussam, vt puta, ignem, consequenter & hominis materiam vnam statuebant. hoc igitur modo antiquiores dixerunt hominem vnum esse. Vnde Galen. j. de elementis, postquam ostendit multis rationibus Hipp. destruxisse hominẽ esse vnũ, ijs verbis, hanc infert conclusionem. Est igitur stulta opinio & naturalium philosophorum, ac medicorum, qui vnum aiunt esse elementum, vel vniuersi, vel hominis. in quibus manifeste ostendit, antiquos philosophos ideo vnum dixisse hominem, quia omnium rerum, vnam tantum materiam esse dicebant. idemq. esse, siue de omnibus in vniuersum, siue de vnico hominis disputemus principio. Quamobrem cum propositum fuerit Hipp. inuestigare principia, ex quibus componitur homo; nil

(Margin notes: 32. expo. — 8. expo. — In pro. 7 9. expo. — 36. expo. — 3. cap.)

enim aliud est natura hominis, quae quaeritur hoc in libro, quam eius proxima elementa, vt vidimus; hanc ob caussam necessarium fuit, vt hanc opinionem, tanquam erroneam, & falsam amoueret, prius quam suam sententiam astrueret. *Qui procul ab eo, &c.* Quo modo autem, qui vnum tantum elementum hominem constituere affirmant, vlterius enuntient, & procul ab eo, quod ad medicum facit, declarat Galenus tum hic in expositione: tum alibi saepissime. praecipue vero .j. de elementis. 5.cap. Quoniam nimirum, sicut ipse paullo inferius dicit; ad " hanc opinionem sequitur hominem nunquam affici do- " lore, quin & si quis hoc concedat, vnica etiam medela " erit. at qui & dolere apparet, atq. multifariam curari. " quamobrem isti enuntiant praeter id, quod ex arte medica est. quia dempto dolore, & varia, ac multiplici curatione, & ipsa ars tollitur. omne autem id, quod destruit artem, est praeter artem. Quicunq. igitur eos, qui hoc modo locuti sunt de natura humana, audire consueuerunt; illos non expedit hunc audire sermonem. quia dum in proposito sibi dogmate persistere voluerint, has quidem rationes non poterunt admittere. si quidem diuersam faciamus nos hominis naturam, atq. illi faciunt. cum ipsi eam ex vna tantum re, & inalterabilem; nos vero, & ex pluribus rebus, & alterationibus quam maxime obnoxiam, constituamus. quam quidem rationem explicauit illis verbis Hipp. *neq. enim dixerim hominem omnino esse acrem, neq. ignem. &c.* ac si dixisset, non enim eadem nos, & ipsi, hominis elementa ponimus. quamobrem non poterit quis & hanc, & illam sententiam admittere. Et hoc modo non sine maximo artificio, ac pene incredibili, proponit Hipp. opiniones eorum, qui dicebant hominem ex vna tantum re constitutum, & vnum quoddam esse. quas post modum in sequentibus reprehendet. *Neq. aliud quippiam, &c.* his verbis, iudicio quidem meo, aliam quandam sententiam a propositis di-

32.tex. uersam, innuuit Hipp. quāobrem dicerem, vt inquit Arist. j.phys. Antiquorum, qui vnum tantum faciebant rerum principium, alios illud vnum posuisse aquam, alios ignē, nonnullos aerem, aliquos vero quippiam igne quidem densius, aere vero subtilius. cur autem hoc dixerint, post 53. & 54. tex. eiusdem libri modum rationem Arist. alibi reddit. quam, quia ad hūc locum non facit, vltro relinquamus. Quare, vt ad rem redeamus, cum Hipp. dicit se nolle affirmare hominem esse vel aquam, vel terram, vel ignem, vel aerem, vel aliud vllum, exponamus, neq. aliquod aliud corpus simplex, quod sit igne quidem densius, aere vero subtilius; vt illi dicebant. Itaq. nihil mihi verius hoc in loco, quam istorum opinio intelligi posse videtur. hoc.n. pacto, non solum Hipp. redarguit sententiam illorum, qui dicebant omnia constare ex vno quattuor elementorum; sed & asserentium istud vnum esse quid simile elementis. quod ipsi igne densius, aere vero rarius sibi effingebant. Democriti etiam opinionem, his verbis, tetigisse Hipp. affirmare, non omnino erit a veritate alienum. cum maxime 2.cap. a Galeno j. de elementis, aduersus Democritum adducatur ratio Hipp. nempe, quod homo non doleret. Cum enim dixerit philosophus hic, corpora ex atomis constare, quae genere vnum dicuntur esse, ideo & non immerito inter ponentes naturam humanam cōstare ex vna tantum re, conumerari poterit. aduersus quem, Hipp. argumentatio, duabus de caussis, quam maxime facit. primo quia atoma genere vna dicuntur. deinde quoniam haec impatibilia, inalterabilia, minimeq. sentientia ab eodem ponebantur. Quare si ex eisdem humanum corpus componeretur, neutiquam doleret. vt loco citato a Galeno longa, ac docta oratione declaratur.

Nunc ad ea exponenda, quae aliquam habent obscuritatem in expositione Galeni, deueniendum duco. in qua quidem, relictis ijs, quae ex se sunt manifesta, obscuriora tantummodo illustrabimus. Galenus igitur, qui nam fuerint

fuerint ij, qui ab Hipp. damnantur, quod, praeter artem medicam, tractauerint de natura humana; declarat in ipsis primis verbis huius expositionis. vel potius dubiũ quoddam, quod accidere poterat, tollit. posset enim quis ambigere, an Hipp. damnet eos, qui hominem constitutum ex quattuor elementis faciunt; an eos, qui ex vno tantum. & ait, nos primo intuitu accedere ad priores; nempe, quod primo aspectu nobis videatur Hipp. eos corripere, qui omnia elementa hominem componere dicebant: quia id de omnibus negare videtur. Huius autem ratio esse poterit; quia non est, qui ignem, vel aerem, vel aquam, vel terram in corpore nostro ostendere possit. quod quidẽ dubium, & ex ratione loquendi ipsius Hipp. & exemplo tetrapharmaci post modum perbelle tollit Galenus. nam & Hipp. vtitur hac voce τὸ πάμπαν, quae quid importet, infra declarabimus. & sicut non est negandum in tetrapharmaco reperiri & ceram, & picem, & cetera huiusmodi, propterea quod non est, qui separatim istud, vel illud ostendere possit: ita & in proposita quaestione non est negandum, inquit Galenus, corpus nostrum conformatum fuisse ex quattuor elementis: quamuis non possimus terram, aquam, & cetera elementa, in eo separatim ostendere. Quamobrem non est credendum, ait Galenus, Hipp. istos accusare, quia si exquisitius rem considerabimus, eum non primos, sed secundos videbimus damnare: illos, scilicet, qui corpus humanum vnico tantum constare elemento, affirmabant. Hoc peracto Galenus, vt diximus, exemplo tetrapharmaci tollit rationem eorum, qui male poterant Hipp. interpretari. Secundo Galenus declarat verbum illud τὸ πάμπαν, quod est, vt hic celeberrimus Trincauelius, & secundo aphor. doctissimus Leonicenus traduxerunt, omnino, dicitq. sensum eius esse, non quod prorsus aboleat, sed quod perfringat id, de quo dicitur. quare cum

Hipp. dicit, neq. enim dixerim hominem omnino esse aerem, &c. non est credendum, eum velle negare hominẽ esse haec quattuor; sed singillatim de vno quoq. hoc negat. hoc pacto. neq. dicimus hominem esse aerem tantum; neq. propter hoc assentimur ijs, qui eum ignem esse affirmant: pariter neq. ijs, qui illum ex terra, aqua ue faciunt. sed propterea non nego, eum posse esse haec quattuor omnia. Quod autem dicit Galenus de hac voce τὸ πάμπαν, declarat duobus exemplis. altero sumpto ab Homero: altero vero ab eodem Hipp. ex quibus, verus huius dictionis, hoc in loco, intellectus, nemini non manifestus apparet. Tertio Galenus declarat, quod Hipp. non assentitur ijs, qui hominem vnum esse ex quattuor elementis, affirmabant. idq. ex se clarissimum euadit. Quarto exponit quo modo intelligenda sit pars illa, quae dicit, *neq. aliud quippiam, quod in homine unicum esse non appareat.* quae verba graece sic se habent. οὔτ' ἄλλο οὐδὲν ὅτι μὴ φανερόν ἐστιν ἓν ἐὸν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. & inquit Galenus, quod verba illa ἓν ἐὸν, possunt duobus modis legi. altero quidem quod secundum Iones sint vnum tantum verbum ἐνεὸν, quasi dicat inexistens. quod ipsi vsurpant pro eo, quod communiter graeci dicunt ὄν, vel ἐὸν. idest, ens. alio vero modo quod sint duae partes orationis, ἓν, scilicet, quod vnum significat; & ἐὸν, quod idem, quod ens valet. vt sensus sit vnum ens. Modo iuxta hos duos sensus, qui differuut inter se compositione, & diuisione; diuersa etiam resultat intellectio verborum Hipp. adeo quod legendo coniunctim ἐνεὸν, lectio haec adstipulatur interpretationi eorum, qui dicebant Hipp. reprehendere eos, qui posuerunt omnia elementa concurrere ad generationem humani corporis. quia tunc resultat sensus talis. Neq. enim dicimus hominem esse aerem, neq. ignẽ, neq. aquam, neq. terram, quippe quod apertũ non est, haec inexistentia esse in homine. vel, quod apertum non est, vnum quodq. horum inexistens esse in homine. Et

hoc modo lectio haec fauet opinioni eorum, qui intepretabantur verba Hipp. tamquam prolata contra illos, qui hominem constare ex quattuor elementis ponebant. Quare melius indicauit Galenus, verba illa diuisa, hoc modo, legenda esse, ἓν ἐόν: quae post modum latine vertuntur, vnicum esse, vt doctissime vertit Trincauelius: vel vnum esse, vel inesse; vt fecerunt & Macchellus, & Curserius, & Brentius. & tunc sensus erit; negamus hominem esse ignem, aut aerem, aut aquam, aut terram, aut aliud vllum: quippe quod compertum non est, vnum in homine esse. idest, quippe quod manifeste conspicitur, nō vna tantum re hominem constitui. & hoc modo haec expositio facit ad mentem Galeni, qui interpretatus est Hipp. loqui aduersus eos, qui hominis naturam ex vno tantum elemento conformabant. Quantum intersit, an verba aliqua legantur coniunctim, vel separatim, videre licet apud Arist. j. elench. non longe a principio: vbi de ambiguitate loquitur, capite de loco a compsitione, & diuisione. & haec quo ad expositionem eorum, quae Galenus obscure dixit. reliqua per se sunt notissima. Illud tamen hoc loco animaduertendum, quod & animaduersum fuit a celeberrimo Trincauelio. verba, scilicet, illa in principio expositionis Galeni, quae dicunt. εἰ μὴ μιγνύσι τὰ στοιχεῖα, quae latine sunt, si elementa non commiscent; ex textu esse omnino expungenda: quia si sequentia attendamus, constare non possunt. Aliquis, cui mirum videbatur, quod Galenus diceret Hipp. succensere illis, qui ponebant hominis naturam constare ex quattuor elementis, fortasse posuit ea in margine; tamquam voluerit exponere, quod sibi dubium erat. quae verba post modum librariorum inscitia, in contextum fuerunt translata. Item notat Trincauelius, quod legitur in impressis codicibus κρίνεσται, alibi se legisse ἐκρίνεσται.

II.

Mihi uero, qui haec aiunt, non recte sentire uidentur: eadem enim sententia utuntur omnes, uerum non eadem dicunt. Sed mox inferunt eundem sententiae illius epilogum. Nam quod est, unum esse dicunt: & id, & unum esse, & omne. nominibus uero deinde discrepant: hic enim aerem esse ait hoc unum, & omne; ille aquam; alius uero terram: & eorum unusquisq. suae rationis testimonia, & coniecturas adducit; quae tamen nihili sunt. Quod autem in eadem uersentur sententia, nec tamen eadem dicant, manifesto indicat illos ea ipsa ignorare. quod facile cognoscas, si eorum interfueris contentionibus. nam ipsis disputantibus, numquam ter subinde homo idem ratione superior euadet: sed modo hic uincit; modo ille; ille inquam, cui lingua fluxibilior contigerit ad turbam. Atqui par erat, ut qui profitetur, se de rebus aliquid recte nouisse, rationem eam afferat, quae semper superior sit; si re uera illa nouit, & si recte pronuntiat. At uero hi homines, uidentur mihi se ipsos, suismet uerbis, quibus in suis rationibus utuntur, demoliri prae imperitia: & praeterea Melissi sententiam, constituere. sed de his satis.

COMMENTARIVS.

POSTQVAM Hippocrates dixit eos, qui philosophicis de humana natura tractationibus assueti sunt, hos sermones audire nō debere: innuere ex hoc volens, opiniones antiquorum malas esse; ideo in praesenti contextu, quoquo pacto eorum fundamenta euertit, vel potius irridet, & auctores ignorantiae accusat. Quibus, si volumus ea ad capita referre, tria vitio vertere videtur. Primo enim cum eadem utantur omnes, in eademq. versentur sententia, & eadem non dicant, eundem tamen inferunt epilogum. Secundo eos ignorare quod profitentur, accusat. Tertio ait, quod dum se ipsos demoliuntur, prae imperitia, Melissi opinionem erigunt, ac constituunt. Quae omnia, tum quia hic ab Hipp. breuissime tangun-

tur; tum quia à Gal. in expositione hac, concise admodũ ennarrantur, non minimam praeseferunt obscuritatem: quare, vt ea apertissima reddantur, ex Galeno j. de elementis lucidissimam sumpsimus expositionem. quae sic se habet. Hippocrates hoc in tex. disputat aduersus eos, qui ideo hominis elementum vnum ponebant, quia omnia, ex vno quattuor elemẽtorum oriri, affirmabãt. quod ex ijs, quae superiori expositione ex mente Arist. & Galeni diximus, perspicuum euadit. Modo omnes isti, vnica tantum ratione moti, in hanc veniebant sententiam, vt crederẽt, vnum ex quattuor elementis, esse omnium rerũ, communem materiam. Haec autem erat, eorundem inuicem transmutatio. vnde qui ignem ponebat rerũ principium, ex concretione, & fusione eius, cetera oriri affirmabat. nam igne condensato, & coacto fit aer: sin amplius & condensetur, & coarctetur, oritur aqua: sin exacte admodum, & multum cogatur, terra generatur. eadẽ penitus ratione nitebatur, qui terram statuebat: ex eius enim fusione, generationem habebit aqua: si magis rarescat, fiet aer: si vehementer hoc patiatur, in ignem conuerti poterit. & eodem pacto, qui duo alia elementa rerum ortui, subiectam materiam constituebant, ex concretione, & secretione omnia alia fieri contendebant. Vna ergo erat, ad diuersa asserenda principia, & eadẽ ratio; nempe, ex eisdem inuicem transmutatio. Vnusquisq. igitur ipsorum, vt summatim dicam, elementum, quod rerum initium ponebat, illud tale penitus statuebat, quia in alia trasmutari, eo pacto, quo diximus, ex concretione, & secretione poterat. Istud tamen praetermisit dicere hic Hipp. quia, vt ait Galenus, sermonem instituit ad eos, qui optime nouerint rationem antiquorum, in constituendo vno quattuor elementorum, rerum omniũ principio, vnam, & eandem esse. His declaratis, modo Hipp. verba clarissima euadere poterunt. Quando enim ait, *eadẽ sententia utuntur omnes*. innuere hac oratione vo-

4. cap.

luit, antiquos, qui vni ex elementis addicti sunt, istud inter se commune habere; quod omnes vnam rerum materiam tantum ponunt; & ex elementis vnum. *Verum non eadem dicunt*, quoniam hic eam nominat aquam, ille aerem, alius ignem, & cetera. *Sed mox inferunt eundem sententiae illius epilogum*. hoc est, vnus quisq. eorum ad sui comprobandam sententiam, facit eundem epilogismum: idest, eadem ratione vtitur, quae ex transmutatione quattuor elementorum ex inuicem, desumpta est. Nam qui ponit aquam, ex fusione, & concretione eius, cetera oriri dicit. pari pacto & qui aerem, & ignem, terram ue ponunt, idem faciunt. & hoc pacto sententiae illius, quam vnusquisq. ipsorum ponit, eandem probationem, & eundem faciunt epilogum. est autem epilogismo ali-

6. expo. quid probare, vt j progn. habetur, communi ratione, & omnium assensu in demonstrando vti. quemadmodum faciebant isti, qui ex transmutatione elementorum omnibus notissima, neminiq. nō concessa, propositum suum astruebant. quae omnia Hipp. hoc in loco, quo quo pacto etiam insinuauit: nam quo modo isti eadem norint, & eandem dicant sententiam, declarat Hipp. quia, nimirum, omnes isti inquiunt, *quod est*, rerum, scilicet, elemētum *unum esse*. & hic per vnum, vt annotauit Galenus j. de elem. non intelligas eos posuisse, vnum esse rerum

2. cap. principium, vel elementum numero. sed vnum forma, ac specie percipere debes. Nam si aqua, verbi caussa, omnium esset rerum elementum, non enim esset vna & eadem numero aqua illa, ex qua Sortes constaret; cum ea, quae Dionem componeret: bene in specie, & communi forma, vna & eadem esset haec, & illa. *Et id etiam unum esse, et omne*. idest, non tantum vnicam rerum materiam statuebant, sed illam omnia esse volebant. nam antiquorum quamplurimi, vt iam admonuimus, praeter materiam, nullam aliam in rebus caussam animaduerterunt. ergo & ista materia non tantum erat vna, sed &

omnia. qui enim aquam omnia esse dicebant, praeter eam, nil aliud concedebant; igitur omnia erant aqua. aqua est vna secundum ipsos, ergo omnia erant & aqua, & vna. *Nominibus uero deinde discrepant.* declarat modo Hipp. quo modo eadem non dicant. quia isti in nominibus non consentiunt, scilicet, dum materiam, ex qua omnia constituunt, nominant; alij eam aerem, nonnulli ignem, alij alio nomine eam appellant. *& unusquisq. eorũ suae rationi colligit testimonia, & coniecturas nullius momenti.* quia dixerat eundem facere epilogum, nunc dicit rationes eorum nullius esse momenti. Et hoc iure merito tribus potissimum de caussis. primo enim vnusquisq. eorũ, ex transmutatione elementorũ, credebat ostendere istud, vel illud appellandum esse elementum. cum tamen non habeant quattuor simplicia corpora esse elementa, quia inuicem transmutentur. sed quia vnum quodq. eorum simplicissimum, ac purum esse dicitur, ideo & elementi nomine merito vocatur. quare isti non recte demonstrare videntur. Secundo quoniam ex hoc, quod elementa hoc pacto inuicem transmutari apta sunt, ideo potius communem omnium materiam, ex qua componuntur etiam elementa, concludere debebant. quam ex illis vnum, omnibus commune statuere principium. quo modo autem istud concludat, cum ad explicandum, quo pacto incidant in opinionẽ Melissi, deuenerimus, declarabimus. Tertio etiam in illo eos Galen. damnat. quod cum omnium entium vnum constituant elementum, deinceps de trasmutatione loquuntur, quattuor numero entia faciendos: cum melius eis fuisset, illud vnum, si verum vnum sit, supponere omnino intransmutabile. His igitur de caussis dixit Hipp. rationes eorum nullius esse momenti. Verum hoc in loco non immerito dubitari poterit. quid est, quod Hipp. damnat horum opiniones non recitatis prius eorum rationibus? quemanmodum facit Arist. vbiq. quis enim potest nos certiores redde-

re, si vidissemus antiquorum fundamenta, quibus innixi suas cõstruxerunt opiniones, nos eis non assentiri? Respondeo duobus modis: & primo ex Galeno, qui paullo
j.expo. infra, Hipp. in hoc textu nil aliud sibi proposuisse, affirmat, quam vt ostendat antiquorum probationes, nullius prorsus fuisse ponderis, & tales, vt minime eis fides ab alijs adhibenda sit. si quidem inter eos, modo iste, modo ille, in suis rationibus adducendis victor euadebat. Omnes vero ita insulse propositum suum tuebantur, vt id a quo maxime dissentiebant, inscienter dum se ipsos purgarent, maxime probare viderentur. Secundo non admodum extra rem affirmare poterimus, Hipp. horum rationes non adduxisse, quoniam nõ tenetur artifex disputare, contra negantes principia suae artis. vt habemus
11.tex. ex Arist. j. phys. quare cum isti hac sua sententia destruãt principia artis medicinae; quae sunt; & quod homo dolet, & quod remedia sunt multiplicia, ideo non tenetur Hipp. eorũ rationes soluere. Nec minus laudis Hipp. tribuere debemus, quod longiori oratione disputet contra medicos illos, qui hominem ponunt esse vnum ex quattuor humoribus, eorum rationibus nonnullis adductis; licet ipsi non minus, ac philosophi tollant & dolorem, & copiam remediorum. Nam ex eo explicatius redargui merentur medici, quod hoc faciant persistentes quo quopacto in principijs artis. quia, scilicet, dicebant hominem compositum esse ex vno humore. & sic aliqualiter intra limites artis se se continebant. quia hoc principium est artis medicae, hominem componi ex humoribus: quare non incongruum est Hippocratem disputare longius contra medicos, quam fecerit contra philosophos. Quod si quis vellit, huius rei, euidens argumentum, locuplex testis esse poterit Arist. qui loco superius allegato, dicit, Geometram non teneri soluere tetragonismum Antiphontis: quia destruebat principia artis: cum nihilominus teneatur, soluere eum, qui per sectiones

nes

nes fit; quia hoc pacto principia artis eadem, immotaq́; manent. Idem affirmat etiam de negantibus principia naturalia; quod scilicet, non licet disputare cum illis, cum tamen contra eos, qui naturaliter, sed male locuti sunt, & disputare, & eorum rationes adferre, & eas reprehendere liceat. Si quis vero antiquorum opiniones de rerum vnitate videre cupit, is accedat ad prooemium methaphy. vbi Arist. loquens de ijs, qui vnum ex elementis posuerunt omnium rerum materiam, eos in triplici constituit differentia. Alij istud omne aquam esse volebant, vt Thales. alij vero, vt Anaximenes, & Diogenes aerem ponebant. tertia ab istis discrepans sentẽtia; quae fuit Hippasi, & Heracliti, istud de igne contendebat. Nullus tamen ex philosophis, vt testatur Arist. 14.tex.
eodem j, meth. lib. ausus est affirmare, terram esse principium rerum naturalium, propter partium magnitudinem; praeter Hesiodum, qui hoc poetice magis, quam philosophice scriptum reliquit. Ab Arist. igitur Hipp. dissentire videtur: qui superiori cõtextu, & verbis huius particulae, non defuisse, qui terram rerum initium dixerint, innuere visus est. Solue contradicentes horum virorum sententias. quod Hipp. affirmauerit hoc, non tantum de philosophis, verum etiam & de poetis, & alijs cuiuslibet generis hominibus. loquitur enim in communi de antiquis. Arist. vero id negat fecisse aliquem philosophorum. De Hesiodo quin etiam putarunt non nulli, vt refert solertissimus Arist. interpres, Franciscus Vicomercatus, in ij. meteorologicorum, eum in Theogonia
aquam statuisse rerum initiũ, & χαος, nominasse. ὡς ἀπὸ 1.expo.
τοῦ χύσεως; χυτὸν γὰρ τὸ ὕδωρ. idest, velut ab effusione, "
si quidem fusilis, fluuitansq. aqua est. Nec ob id quis du- "
bitabit hoc in loco, cum legatur in libro, qui de philoso- "
phica historia inscribitur, quod Pherecydes Sirus ex terra affirmauerit omnia ortum ducere. cum eius hic non meminerit Galenus, cumq. absolute dixerit Arist. nullũ

ex philosophis posuisse terram rerum elementum. primo, quia liber ille non est Galeni: vnde ob id non est mirum, si de eo, ne verbum quidem fecerit. secundo vero, de hoc non fuit facta mentio ab Arist. vel quia philosophus hic fuerit tempore eodem posterior; vel quia, etiã si prior extitisset, nullius fuerit nominis. *Quod autem in eadem uersentur sententia.* Antiquos ignorare, quod profitentur, quod erat secundum propositum in hoc textu; probat nunc ipse Hipp. duabus rationibus. & primo, ex dissensione, quae inter eos manifestissima est. cum tamen in eadem re, (quando veritas vna tantum modo esse dicatur) omnium consensus vnus esse deberet. ait enim Hipp. *Cum in eadem uersentur sententia*. idest, cum in vna inquirenda rerum omnium communi materia, laborent omnes antiqui, *nec tamen eadem dicant*, idest, nec tamen eandem omnes faciant, quod quidem facere debuissent, cum vnuscuiusq. rei, vt mox dicebam, vna veritas, & vnus tantum modus existat. *Manifesto indicat illos ipsa ignorare*. quasi dixisset: apertissime ostendunt, illam ignorare. ex quo euidens in dissensione hac testimonium latet, quod ab ipsis pro veritate accipitur, apertissimum esse mendacium. secundo idem confirmat ab eo, quod ipsis in disputationibus euenit. nam, dum disputant ipsi, non est videre eundem hominem, ter ordine non interrupto, victorem disputationis euadere; sed modo hunc, modo illum; quatenus alter altero loquacior est. hoc autẽ manifestissime declarat, hos ignorare id, de quo verba faciunt. secus enim accideret, si optime callerent, quod profitentur. *At uero hi homines uidentur mihi. &c.* Postremo dicit Hipp. quod isti homines, dum inter se nominibus contendunt, Melissi sententiam concludunt, ac stabiliunt. quod quidem a Galeno, hoc pacto, etsi alijs verbis, declaratur. Nam isti concordant inter se, quod vnũ tantum est illud, quod subijcitur tamquam materia in constitutione corporis nostri: & differunt solum de im-

ponendo nomine; quia vnus eorum vult nominare hanc materiam terram, alius aquam, &c. ideo extollunt opinionem Melissi. qui & ipse vult hanc materiam esse vnã. & Galenus ait. quod iste homo visus est intellexisse vnã » quandam essentiam, quattuor elementis subiectam, in- » genitam, & incorruptibilem: quam eius successores ma- » teriam appellauere, quamuis sane singillatim hanc ne- » quiuerit demonstrare. Verum cum hic a Galeno nullum habeamus indicium, quo pacto isti opinionẽ Melissi offendant, dum de rerum vnico elemento, disputant: operae pretium fore duximus, si modum, quo fieri istud contingat, declarabimus. quod vt explicatius praestare possimus, vnam eorundem accipiamus sententiam. Sit igitur ignis principium, ex quo cetera fieri debeant elementa. in igne caliditas, & siccitas esse dicitur. ex eo fiat aer. in aere vna qualitatum ignis reperitur, nempe, caliditas; ergo in aere loco siccitatis humiditas introduci debet. caliditas vero remanet. quaero ego in hac transmutatione ignis in aerem, in qua materia subiecta seruatur incolumis caliditas haec? non est dicendum in igne. quia dempta siccitate, non est amplius ignis. non in aere. quia numdum factus, & perfectus est. ergo concludendum hanc qualitatem, in aliqua alia re diuersa, & ab igne, & ab aere seruari. haec autem non potest esse, nisi materia prima. ecce ergo quo pacto in materiam primam incidunt. Tantum abest igitur antiquos, ex mutua elementorum transmutatione, suam comprobare sententiam, vt potius Melissi dogma constituant: qui materiam hanc visus est intellexisse. Quod quidem manifestissimum postmodum Platonis testimonio euadit. qui cum in Timaeo elementis omnibus communem materiã vellet ostendere, vsus est primorum corporum, quam inuicem faciunt, patiunturq. transmutatione. Incidunt igitur isti hoc pacto argumentantes in opinionẽ Melissi vt fusius est declaratum a Gal. j. de elementis. Sed aduer

sus hanc Galeni expositionem, duae sunt dubitationes. quarum prima est, numquid rectius Melissus illis loqueretur, an illi Melisso verius dicerent. & sic an voluerit
" Hipp. indicare antiquos in opinionem Melissi incidentes
" melius, peius ue sentire. Secunda est, an Melissi haec
" fuerit sententia. numquid, scilicet, quando dicebat om-
" nia esse vnum; voluerit dicere; omnium rerum ortui, interituiq. obnoxiarum, vnam esse materiam; & eam, de qua locutus est Arist. Sed de hac re dicemus, cum deuenerimus ad Galenum. Ad primam igitur redeuntes. crediderim non ob id Hipp. dum antiqui se ipsos demoliuntur, Melissi sententiam astruere, vt eos vel absurdiora, vel veriora dixisse innueret. nam vtrisq. absurdissima proferre contigebat. quamuis innuat Galenus j. de elem. Melissi minus absurdam esse sententiam, eorum placitis. Sed illud eis vitio vertit, tamquam turpe sit, hominibus ijs, qui, dum propriam laborant astruere sententiam, alterius sententiam a propria diuersissimam, corroborant, confirmantq. quod turpius postmodum euadit, si opinio, in quam inciderint, absurdissima esse contigerit. qualis esse Melissi sententia traditur a Galeno, quod antiquis illis euenisse testatur Hipp. Eãdem huius loci expositionem pene, iudicio meo, tradit solertissimus Vicomercatus, j. phys. lib. vbi de opinionibus an-
6. expo. tiquorum loquens haec verba habet, Hipp. antiquos re-
" prehendens, qui vnum hominis elementum ponebant, eo
" rum, inquit, sententia Melissi opinionem tamquam re-
" ctam comprobari: quasi, sententiae huiusmodi interse
" non discreparent. Sed Arist. sententia est, vnum quidem
" secundum materiam Melissum statuisse; non tamen sim-
" plicium corporum generationi subiectum. cum vnum il-
" lud omnino immobile induceret. Sed qui optimam loci huius expositionem ex Gal. videre cupit, is cap. iiij. lib. j. de elementis legere poterit. quo in loco diffuse explicat, quae hic breuissime, & satis obscure traduntur ab Hipp.

Ad expositionem Galeni conuertat modo se se oratio nostra: in qua qnidem multa dixit, quae maximas habẽt difficultates. Primo igitur declarat Galenus quo modo dixerit Hipp. nosse eadem omnes antiquos, sed non eadem proferre. & ait hoc dictum fuisse: quia hi, qui ponebant, exempli caussa, ignem esse illud omne, omnia alia tria elementa, ex eo fieri dicebant; & cetera subinde omnia generabilia. quo modo autem id fiat; supra a nobis expositum est. Verumtamen, quae hic dicuntur a Galeno, & si optime Hipp. sententiae quadrent, & iuxta ea, expositionem nostram scripserimus; quoniam tamen ex ijs rationibus, quae ab illis antiquis, ad suas comprobandas sententias, afferrebantur; quae ex eorundem libris, temporis iniuria, ad nostram non peruenerunt aetatem, vim, & robur suum obtinent; dubia alicui primo aspectu facile videri poterunt. Sed si Galeno credimus, cum Hipp. ea praetermisisse dicat, tamquam ad eos scribens, qui antiquorum rationes optime nouerint; eadem tamquam & tempore Hipp. & Gal. aetate, apud omnes satis cognita, admittere debemus. Omnisq. tolletur ambiguitas, si considerare voluerimus, antiquiores philosophos principium illud, ex quo omnia constare autumabant; mutabile, aliarumq. rerum generationi obnoxium, natura hoc dictante, ac necessitate id requirente, posuisse, statuisseq. nisi, quae manifesta sunt sensibus, omnino negare voluerint. & quamuis inter eos non defuerint, qui ea, quae vere sunt, posuerint non ita secundum rei veritatẽ esse, sed nobis ita videri. vt de Parmenide dicitur j. physs. 41. expo. ab Auerr. & de Democrito j. de elem. a Galeno; omnes ta- 2. cap. men eorum, quae nobis apparent, transmutationum, caussas ttadidisse, & modum, quo fieri possint, expresisse videmus. cuius classis fuisse & eos, qui materiam rerum generabilium: praecipue vero hominis, vnam ponebant, ex hoc Galeni loco manifestum est. si quidem concretione, & secretione, vt ipse ait, ex vno illo principio, cetera

oriri affirmabant. Exponit deinde Galenus, quo nam pacto antiqui isti coijncidant in opinionem Melissi, ponentes vnum tantum elementum hominis naturam perficere. Sed cum in expositione verborũ Hipp. dixerimus, quo modo fuerit istud declaratum ab ipso, ideo nihil hoc loco dicendũ est. Vnum tantũ modo hac in re cõsiderãdũ videtur. numquid, scilicet, reuera voluerit Melissus, opinione sua innuere materiam primã omnium rerum generabilium, & corruptibilium; dum dixit omnia esse vnum; vt ei imponit Galenus, nec ne. Qua quidem in re illud dubitationem affert. cur, cum Melissus sententia sua rerum materiam innuere voluerit, Arist. omnium antiquorum absurdissimam eiusdem sententiam vbiq. iudicauerit? Mirum insuper videri poterit, si istud voluit hic philosophus, qua ratione Arist. in inquirendis antiquorum opinionibus, de principijs rerum, solertissimus indagator, hoc nõ dixerit: & cur eum a naturalibus philosophis penitus excluserit. At omnis tolletur ambiguitas, si ex Arist. ipso, ad propositam quaestionem respondebimus. Sciendum igitur Parmenidem, & Melissum τὸ ὂν, perinde ac si dixeris, quidquid est in vniuerso, vnum posuisse, & illud immobile. quorum alter, qui erat Parmenides, idem finitum esse censebat. Melissus vero illud infinitum statuebat, ex hoc quod Parmenides finitum dixit, vnũ secundum formam, innuere visus est. Melissus vero, quia infinitum, vnum secundum materiam principium attigisse videtur. vt Arist. dicit j. methaphy. Melissus igitur quo quo pacto, sua sententia, materiam indicasse visus est. qui Arist. locus Galeno fortasse occasionem dedit, vt hoc in loco, illud Melissi ens vnum, naturam quandam esse diceret, simplicibus corporibus subiectam. quam cum hoc modo indicasset, materiam alij postmodum nominarunt. Nihilominus tamen omnium absurdissimã Melissi sententiam iudicauit Arist. quia etiam si materiã innueret, eam immobilem postmodum ponebat. quae

In pro. 4. cap.

immobilitas ab hominibus ijs, qui ea, quae ſenſibus tantum modo ſubijciuntur, cognouerunt, poſueruntq. cum, eam conditionem rerũ penitus a materia ſeparatarum, non animaduertiſſent, materiae ſenſibili inepte tributa fuit. vt ex ijs, quae iij. de coelo dicuntur ab Ariſt. clariſſime patet. ob idq. minime dignus euaſit Meliſſus, vt ab Ariſt. quando de materia verba habuit, commemoraretur. idq. ne, minime inter ſe cõgruentia connectẽdo aliorum, notam merito ſubiret. Galenus tamen hoc in loco Meliſſi opinionem damnandam credidit; quod poneret ſolam materiam ſufficere ad rerum generationem. quod reuera eſſet abſurdiſſimum. ſed iuxta medicorum praeceptiones loquens Galenus ait: quod praeter ſubiectam materiam, ad rei alicuius generationem, requiruntur etiam quattuor qualitates primae; caliditas, frigiditas, & ceterae, quae eam alterare poſſint. quae quidem qualitates minime elementa appellari debent. ſed tamẽ ſunt principia rerum omnium. Hinc ſumpta occaſione Galenus veteres redarguit. qui dum de materia rerũ, ſiue de primis earum elementis loquerentur, non ſunt auſi nominare primas qualitates; quia ſint principia tantum, non elementa; ignorantes nos etiam nomine elementi poſſe quandoq. appellare principia. id quod fecerunt ſaepiſſime Hipp. & ipſe, qui calidum, & frigidum, & ceteras qualitates primas elementa nuncuparunt. & vſi ſunt harum nominibus, pro igne, aqua, & ceteris vocatis elementis. exponit poſtmodum Galenus quomodo differunt primae qualitates ab elementis. in quorum verborum calce, haec habet. θερμότητος μὲν γὰρ ἄκρας ἐγγενομένης αὐτῷ πυρὸς ἀποτελουμένου καθάπερ γε καὶ ἀερὸς ὅταν ἄκραν ὑγρότητα δέξηται. κατὰ ταῦτα δὲ γῆς μὲν γιγνομένης ἐπειδὰν ἐκεῖνο τὸ ὑποκείμενον ἄποσαν κατὰ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν ἄποιον ὑπάρχον εἰς ἑαυτὸ δέξηται ξηρότητα, χωρὶς θερμότητος, ὕδατος δὲ ὅταν ὑγρότητα. quae ex interpretatione Trincauelij ſic ſe habent. Etenim cũ in illo (ideſt in materia ſubie-

„ cta.) summus oboritur calor, ignis gignitur. quemadmo-
„ dum aqua, cum summum fuerit assequutum frigus. ea-
„ dem etiam ratione terra fit, cum subiectum id, quod ex
„ sua quidem natura, omni qualitate vacuum est, omnem
„ in se siccitatem, absq. vllo calore receperit. aqua vero cũ
„ humiditatem. Vbi illud animaduersione dignũ est. quod in versione Trincauelij, Andernaci, & etiam Macchelli, bis de aqua, in primis, scilicet, & vltimis verbis, fit mentio. de aere vero nihil dicitur. cum tamen in textu Galeni graeco Basileae impresso uox ἀέρος, in principio ponatur. cui humiditas, & recte, tribuitur. Ipsi vero tanquã si conueniret ambobus in locis ὕδατος, (quemadmodum in Aldino codice male scriptum reperitur) aquam vertunt. & Trincauelius vocem ὑγρότητα, primo loco positam, frigus vertit. Macchellus, & Andernacus, retẽta vocis proprietate, humiditatem dixerunt, tum hic, tum in vltimis verbis, vbi aquae meminit Galenus. Crediderim etiã hic adesse mendum, in voce, quae vltimo loco legitur ὑγρότητα. cuius loco verbum ψυχρότητα, idest, frigiditatem libentius legerem. cum aeri proprie humiditas, aquae ve
23. tex. ro frigiditas tribuatur ab Arist. ij. de ortu, & interitu. nisi bis inutiliter de eadem re mentionem fieri velimus; & praetermitti, quod necessario apponi debet. Et quamuis in aqua sit & frigiditas, & humiditas: nunc tamen describit Galen. elementa ex vna tantum qualitate. quemadmodum etiam plerisq. alijs in locis, facere consueuit. Nunc autem tanto libentius vocem pro voce substituo, quod mendum ex vnius tantum χ redundantia, & υ transpositione, & ψ loco γ mutatione, euenisse, ceteris illaesis, videtur. Quod autem qualitates tangibiles, vt dicit Galenus; sint non solum omnium aliarum rerum, sed etiã elementorũ principia: pluribus in locis testatus est Arist.
7. tex. in pri. ipse, praesertim vero ij. de ortu, & interitu, iiij. meteoro
2. cap. logicorũ, & ij. de part. animal. Quae autem postmodum dicit Galen. in calce expositionis, de mixtione elementorum

torum, in rebus ex ipsis ortis, & modo eius; quia sunt ex eorum numero, quae ad artem pertinent, aliqua indigent contemplatione. De mixtione igitur elementorũ, ait Galenus, tres fuerunt sententiae. Vna quae quattuor tantum qualitates in componendis rebus naturalibus, per tota inuicem temperari dicebat. quam Peripateticis ipsis tribuit, etsi alio modo dixerint nonnulli expositorum Arist. Alia vero, quae fuit Stoicorum, hoc de essentijs ipsis elementorum affirmabat. de qua idem dicitur etiam j, metho. med. Tertia, quae erat Empedoclis, hoc idem continebat, sed diuersimode. quia volebat post modum, quattuor elementa permanere impermixta, nõ secus, ac si quis, vbi leuigauerit exacte, ac in pollinem redigerit aeruginem, & calcitem, & cadmiam, & misy, ita misceret, vt non liceat, aliquod ipsorum sine alio tractare. Similem sententiam narrat Galenus de Democrito, & Epicuro j. de elem. quod facit & Auctor commentariorum illorum in lib. Hipp. de humoribus, quae Galeno tribuuntur. Verum opinioni Peripateticorum, quae vna, & eadem est cum medicorum placitis, refragari videtur Galenus pluribus in locis. Sed cum inferius, in hoc eodem opere, longe accommodatior, & locorum afferendorum, & ambiguitatis tollendae, nobis sit visa occasio, haec vsq. in illum locum distulimus. Trincauelius notat in hac eadẽ expositione, id quod in impressis codicibus, in primis ipsis verbis dicit ὡς πρὸς εἰδότας, alibi legi, ὡς προειδώς. idest, quasi praeuiderit. Item non longe a principio, in voce illa improbabilis, notat idem Trincauelius in antiquis legi ἀπίθανος, non πιθανός.

1. cap.

9. cap.

Lib. 1. exp. 1.

III.

Porro ex medicis quidam sunt, qui asserunt hominem esse sanguinem, alij bilem, non nulli pituitam.

COMMENTARIVS.

Opinione philosophorum, qui de natura humana male locuti sunt, recitata, ac derisa, vt ita dicam; transit

nunc Hipp. vt dicit Galenus, ad medicos. & ait, ex his aliquos hominem esse sanguinem tantum dixisse; alios bilem; nonnullos pituitam. Et quamuis verba Hipp. nullam videantur habere obscuritatē; posset tamen quis suspicari, quia dum connumerat Hipp. opiniones medicorum, qui vno ex quattuor humoribus hominem componi tradiderunt; tres tantum eas facit; cum tamen adhuc quartus remaneat humor, scilicet, melancholia, qui quartam poterat constituere sectam. Fuitne igitur aliquis ex antiquioribus medicis, qui hominem ex melancholia composuerit? Non minus & in verbis Galeni illud quaeri posset. quid sibi voluerit, quando dicit, quod hic praetermittitur opinio quaedam medicorum, conformis Melissi sententiae. Sed de hac, in sequenti expositione Galeni, vbi clarius locutus est, quam hic; verba faciemus. Vt primam tollerem ambiguitatem, non vererer asserere Hipp. hoc in loco vocem bilis, sumpsisse pro vtraq. bile; flaua, scilicet, & atra. etsi me non latet, infinitis in locis, Galenum animaduertisse, nomen hoc simpliciter
27.expo. prolatū, de flaua bile perpetuo intelligi debere. & praecipue infra in hoc eodem libro, vbi notat. omnium esse morem non medicorum solum, sed etiam omnium Graecorum bilem sine additione nominare si voluerit pallidā vel flauam indicare. Et licet non recorder me vnquam legisse apud Gal. vocem hanc de ambabus bilis speciebus sine additione pronuntiatam dici posse: memini tamen aliquando notasse apud auctorem libri de Theriaca ad Pisonem, siue is fuerit Galenus, siue alius, bilem sine vlla additione pro atra vsurpatam. cuius haec verba sunt,
15.cap. loquitur enim quo pacto quandoq. quartanam curauerit. Primum enim cum coenassent, vt euomerent effeci: deinde secuta die succum absynthij bibendum tradidi, quo bilem contemperem, ac veluti edulcorarem. nemini vero manifestum non est, quartanam fieri ab atra bile. Pari pacto & Latini quandoq. nomine bilis, pro atra vti

consueuerunt. ait enim Horatius in epist. ad Pisones.

---------- o ego laeuus

Qui purgo bilem, sub verni temporis horam.

cũ tamen loqueretur de eo humore, ex quo homines insaniunt. Quinimmo, & hoc quo quo pacto me mouet; quod apud eundem Hipp. in hoc eodem libro, bilis vocem simpliciter prolatã, pro vtraq. bile, quo sane pacto eam hoc in loco intelligi volumus, acceptam legere possumus. cum enim prius dixisset. Affirmo autem sanguinem esse, & pituitam, & bilem tum flauam, tum atram. horumq. nomina primum ex lege fuisse distincta assero. nulliq. ipsorum idem inditum esse nomen. deinde subiungit. Mox vero & secundũ naturam species esse diuersas, vsq. adeo vt pituita minime sit sanguini similis, neq. sanguis bili, neq. bilis pituitae. ac si dixisset. neq. sanguis bili, vtraeq., neq. bilis vtraq. pituitae similis euadit. Insuper Hipp. in lib. de genitura, vbi connumerat humorum species, haec habet verba. εἰσὶ δὲ τέσσαρες ἰδέαι τοῦ ὑγροῦ, αἷμα, χολὴ, ὕδωρ, καὶ φλέγμα. Vbi Ioannes Gorraeus, vir sane eruditus, qui librum illum explicauit τῆς χολῆς, nomine, vtramq. bilem tum flauã, tum nigram, potuisse indicare Hipp. notauit. Verum, huius loci tantum auctoritate inniti, non omnino tutum puto. si quidem satis aperte constat; quam diuerse assignatae sint hoc in loco humorum differentiae: vt factum constat ab Hipp. infinitis alijs in locis. Haec, quae probabiliter dicere possem hoc in loco, tantum habui. Si quis vero his minime acquiescat; dicere insuper poterit, neminem antiquorum bilis atrae naturam tanti vnquam fecisse, vt eam principium hominis, constituere ausus sit. vt pote, quae vsque adeo pauca in hominum corporibus appareat; vt fere stultum sit affirmare, hominem ex illa constitutum.

25. tex.

IV.

Eundem uero & isti omnes epilogum faciunt. eorum enim unusquisq. id ipsum unum esse ait, quodcumq. isti nominare uo-

luerint. atq. etiam, quod istud sic unum existens, coactum a calido, frigido, humido, & sicco; mutata forma, & facultate; dulce fiat, & amarum; album, & nigrum. & cuiuscunq. alterius generis. sed mihi haec non uidentur sic se habere. Itaq. plurimi talia, atq. etiam alia, his proxima, pronuntiant.

COMMENTARIVS.

Declarato discrimine, quod versatur inter placita veterum medicorum de hominis natura: quia hi sanguinē, illi bilem, alij pituitam hominem constituere volebant; quid modo, & cum philosophis, & inter se commune habeant, in praesenti contextu declarat Hipp. & inquit, *eundem isti omnes epilogum faciunt*. scilicet, eandem adducunt rationem isti, ad vnum humorem statuendum hominis principium, quam afferebant & philosophi, cum de elementis verba haberent. Nam ex transmutatione humorum concludebat vnus quisq. eorum, hunc illum ue succum esse hominis elementum. *eorum enim unusquisq. id ipsum. &c*, hoc est, volunt omnes, id ipsum, quod hominis elementum ponunt, esse vnum tantūmodo: ceteraq. ex eo oriri posse vi transmutationis. & in hoc non tantum inter se, sed & cum philosophis consentiunt. vt ait Galenus. *Atq. etiam, quod istud. &c.* Exponit quo modo cetera oriantur, ex vno tantum medicorum principio. volunt enim istud, sic vnum existens, posse, immutari a calore, & frigore; tum ex eo generari ceteros omnes humores, qui in corpore sunt; sanguinem, bilem, pituitam, & atrā bilem. qniq. per illas voces exprimuntur; *dulce, amarum, album, & nigrum*. & forsan hic eo modo loquitur Hipp. quo antiquiores illi loquebātur. & omnis alius humor cuiuscumq. generis; vt ἰχῶρ, & omnes illi humores, qui extra modum naturae esse dicuntur. vt sunt aeruginosa, & fusca bilis, rubra, porracea, & omnes aliae quocunq. nomine vocatae. In hoc quam maxime des-

sidentes a philosophis. qui ex illo principio, quod vnusquisq. eorum ponebat, concretione, & segregatione tantum; cetera alia fieri contendebant. vt explicauit Gal. At isti ex eo humore, quem hominis initium ponunt, substantiali transmutatione, quam generatione vocant, ceteros oriri humores, asserunt. vt ex ipsius Hipp. verbis aperte constat. Inquit enim, quod principium istud a medicis positum, *coactum a calore, & frigore mutata forma, & facultate,* quod non fit absq. substantiali mutatione, & corruptione corporis prius existentis, *fit dulce, & amarum album, & nigrum. &c.* adeo, vt medici veram cognouerint quo quo pacto rerum generationem; quae philosophos illos turpissime latuit. Quo autem pacto decepti sint & medici ipsi, vbi expositionem Galeni declarabimus, clarissimum euadet. Nunc autem illud in hoc tex. Hipp. notandum venit, quod in interpretatione Trincauelij, quam sequimur, & quam apponimus; post verba illa *calido, & frigido* subijciuntur haec, *humido, & sicco.* quae nullo in codice eorum, quae huc vsq. viderim, leguntur. Vel igitur dicendum ipsum habuisse textum, in quo aderant. vel haec verba traduxisse oculis conniuentibus. vel ex mente sua (qui omnium esset absurdissimus error) ea adiunxisse. Item verba illa in calce textus, quae dicunt, οἱ μὲν οὖν πλεῖστοι τοιαῦτα τίνα, καὶ ἔτι ἐγγύτατα τουτέων, ἀποφαίνονται, quaeq. in antiquissimo codice legisse testatur Trincauelius, Andreas Brentius in sua versione praetermisit. quae apponitur in simul cũ textu quodam graeco Basileae impresso anno xliij. Quod ex Galeno habemus sic se habet. Dum medici volunt probare huuc, illum ue succum esse secundum naturam in corpore nostro; ex illoq. alios generari; tantum abest, eos suam opinionem confirmare; vt potius eam destruãt. quia potius ponunt, vnam quandam naturam, separatã a quattuor humoribus, quattuor humorum formam acquirere; eo penitus pacto, quo diximus de philosophis

incidentibus in opinionem Melissi; quam ex ipsis, vnum esse secundum naturam. Nam, dum ex sanguine, exempli caussa, qui est calidus, & humidus, generatur bilis, quae est calida, & sicca; necesse est, vt loco humiditatis introducatur siccitas, eadem remanente caliditate. At in quo nam subiecto corporeo est ista caliditas in hoc transitu? non est dicendum in sanguine. quia sanguis, dempta humiditate, non est amplius sanguis. non in bile, quia numdum genita est. ergo ista caliditas remanet in alia re a sanguine, & bile diuersa. igitur in aliqua materia, apta vt possit suscipere diuersas has qualitates; & in diuersos humores transmutari; eorumq. formis subijci. quare dum isti volunt ostendere vnum ex humoribus naturaliter nostrum corpus componere, ex quo alij postmodum ortum ducant, potius probant, nullum eorum esse istud primum: sed aliud quippiam, ex quo omnes fieri possint. cum tamen nullum possit in medicina costitui dogma huiusmodi, simile opinioni, quam habuit Melissus in negocio naturali. quia non potest inueniri aliquid ab humoribus diuersum, quod vnum sit, quodq. humoribus ipsis tamquam materia subijci possit, ex quo hominis naturam, quae ex humoribus constat, fieri affirmare possimus. quo pacto habuit Melissus essentiam quandam ingenitam, & incorruptibilem aptam elementorum generationi; quam principium rerum statuebat. quamq. materiā primam posteriores appellauere. Et ob id quia reuera non potest in medica facultate huiusmodi astrui heresis, dixit superius Galenus, praetermissam medicorum sententiam, conformē Melissi placitis fuisse. Nunc quid per verbum illud ἰχῶρας, sit intelligendum, cum aliorum aliae sint versiones, videamus. Haec vox ἰχὼρ, vertitur hoc in loco ab Andernaco, & Macchello, sanies. celeberrimus vero Trincauelius, virus interpretatur. quae quidem clarissimorum virorum interpretationes, verborum diuersitate interse discrepare videntur. igitur

quo modo rectius verti possit notandum est. Verum priusquam id exponamus, quia maxime conducit medico cognoscere quid sit ἰχώρ. cumq., vt videbimus, maximam habeat familiaritatem cum humoribus, nonnulla quae obseruauimus, nunc annotabimus. vt quid sit, quo modoq. accipiatur ab Arist. & Gal. praesertim vero hoc in loco; percipere facillime possimus. Et ne quid intactum relinquamus, quod huic loco conducere possit; etiã quo modo accipiatur apud poetas, scribere non pigebit. Ichor igitur ab Homero, pro sanguine Deorũ vsurpatur. vbi narrat Venerem vulneratam fuisse a Diomede. vt est videre in illis versibus. Iliad. ε.

" -------- ῥέε δ' ἄμβροτον αἷμα θεοῖο
" ἰχώρ, οἷός πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσιν.
" οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ', οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον. idest,
" ----- fluebat autem immortalis sanguis Deae
" Ichor, qualis fluit beatis Dijs.
" Non enim panem comedunt, neq. bibunt ardens vinũ.

Aristoteles vero diuersis in locis, diuersimode vtitur hac voce. j. enim de hist. animal. accipit ἰχῶρα, pro eo, quod vicem gerit sanguinis in animalibus sanguine non praeditis. vbi dicit. quod in quibusdam animalibus, scilicet, in sanguineis, est vena, & sanguis: in aliquibus vero, idest, in ijs, quae sanguine carent, loco venae fibra; loco vero sanguinis ichor reperitur. ἰχώρ igitur ibi erit serositas quaedam vicem gerens sanguinis. Quo quidem fere modo vsum fuisse auctorem lib. de natura pueri, siue Hippocratem, siue Polybum, videmus. cum membranulae, genituram septem diebus in vtero detentam, ac iam in embrionem euadentem, vestientis; vasa, ac ductus venas nominare timuerit: sed fibras dixerit. quibus tribuit ἰχῶρα, ijs verbis. ἐν δὲ τῷ ὑμένι ἐφαίνοντο ἐνεοῦσαι ἶνες λευκαὶ καὶ παχεῖαι εἰλημμέναι ξὺν ἰχῶρι παχεῖ, καὶ ἐρυθρῷ. idest. Apparebant autem in membrana albae, crassaeq. fibrae, cum ichore crasso, ac rubente, cõ 4. cap.

uolutae, ac complicatae. quasi ichor proprie fibrarum humor, fibrae vero ichoris vascula maxime dicantur; ambo autem non nisi de ijs rebus, quas sanguine carere scimus, vsurpari possint. qualia sunt animalia sanguine haud praedita; & membranae. Alijs vero in locis, ac-
2. cap. cipitur ichor ab Arist. pro tribus alijs humoribus a sanguine. Secundo enim de part. animal. vbi, quae nam sint partes similares humidae in animalibus sanguineis, declarat; sanguinem, & ichorem inter cetera connumerat; nulla de alijs humoribus facta mentione. ergo eos sub verbo ichore, contineri voluisse, affirmare debemus. cũ
19. cap. praesertim iij. de hist. animal. dixerit, ichorem esse partem dilutam, siue aquosam sanguinis: aut quia numdum cocta est; & haec erit pituita. aut quia corrupta est; & haec erit vtraq. bilis, flaua, scilicet, & atra. Alio modo, ac lõge diuerso accipitur ichor a medicis. vt patet ex traditis a Galeno, auctoritate Platonis in Timaeo; eo in lo-
36. expo. co, vbi quo modo generentur morbi in nobis exponit Timaeus, ij. in vj. de morbis vulgaribus. vbi ichorem nil aliud esse apud medicos, praeter serosam partem, ac veluti colamentum omnium humorum, lucidissime testatum reliquit. & ibi quod tot sunt ichores, quot humores, bonitate, vel malitia ab humore proprio adepta interse
9. cap. differentes, habemus. quod etiam ij. de dif. febr. confirmatur. Et haec erit propria ichoris apud medicos significatio. Quamobrem cum tot, ac tanta sint huius vocis significata; non est adeo facile, ea omnia vnico verbo exprimere. nil mirum igitur si tam varie versa fuerit haec vox ab interpretibus. Quorum alij saniem, vt Andernacus, & Macchellus, & Theodorus Gaza, vbiq. apud Arist. (quod quidem, quo iudicio factum fuerit, relinquamus graecarum litterarum peritioribus) reddiderunt. Alij virus, vt Trincauelius. Alij vero, vt Sebastianus Castalio, qui nouissime Homerum latinum fecit: & Marsilius Ficinus in loco Platonis allegato a Gal. vertunt cruorem.

Ioannes

Ioannes Manardus viij. lib. epist. suarum ichores, tenues corporis superfluitates latine fecit. xij. vero lib. saniē quā dam sanguinis ichorem vocat. Item Cornelius Celsus lib. v. serosum illum humorem, qui laborantibus hydropis specie illa, quae ἀσκίτης graece dicitur, saniem nuncupat. Quod forsan fuit in caussa, vt postmodum pleriq. interpretes, illum secuti, in vertendo ichore, saniem dixerint. Non est igitur, iudicio meo, vertendum semper istud nomen, vno, & eodem vocabulo: sed cum diuersas habeat significationes, pro loci diuersitate, nunc vno, nunc alio nomine, & quandoq. retenta voce graeca, exprimendum erit: quod quidem faciendum esse hoc in loco firmissime credo: quemadmodum, & recte quidem, fecit Paullus Crassus Patauinus: qui dum verteret commentarios Gal. in vj. de morb. vulg. lib. deuenissetq. ad locum illum, in quo Hipp. ait. περὶ τοῦ αἵματος τοῦ ἰχωροειδέος ὅτι ἐν τοῖσι πτοώδεσι τὸ τοιοῦτον, ἢ ἐν τοῖσιν ἀγρυπνικοῖσιν, καὶ εἴτε φαῦλον εἴτε χρηστόν. sic vertit. De sanguine ichoroide, quod in pauidis talis, aut in vigilātibus, & siue malus, siue bonus. vbi graecam, cum nulla alia adeo exacte exprimi possit, seruauit vocem: quod fecit etiam in illius contextus Galeni expositione. Graeca igitur & hoc in loco poterit seruari vox: & intelligatur pro ichore, serum, seu colamentum illud, quod quattuor humoribus naturaliter inest. An vero ad mentem Galeni dici possit, ichorem esse speciem pituitae: quemadmodum tenet Archangelus Piccolomineus, in ijs commentarijs, quos scripsit in librum Galeno adscriptum de humoribus, vbi de pituita loquemur, discutiemus.

2. epist.

5. epist.

16. cap.

V.

Ego uero statuo, quod si homo unum esset, neutiquam doleret. nam neq. foret propter quod doleret; cum unum esset. Quod si etiam doleat, erit necesse remedium esse unum.

COMMENTARIVS.

Huc vsq. antiquorum sententias proposuit Hipp. qui

de natura hominis locuti sunt. qui in hoc praecipue dam nandi sunt, quod hominem vna tantum re constare vole- bant. Ideo Hipp. antequam ad aliquid peragendum deueniat, illud prius aggreditur in hoc textu demoliri, an homo sit vnum. & ad hoc diluendum ex manifestis, omnibusq. compertis accepit, hominem dolore affici, vt horum dicta infirmare possit. Ad hoc autem non solum vsus est validissima, sed etiam breuissima ratione; vt dicit Galenus. Haec talis est. Si homo esset vnum, impossibile esset, quod doleret. Hunc eundem argumentationis modũ, nõ solũ vsurpauit Auerr. acerrimus medicorũ inimicus, tamquam optimum; sed etiam longe ampliorem reddit libro suo, qui Destructio destructionum inscribitur. quo in loco ad verbum habet. Dicit Hipp. si esset
a.dispu. homo ex vna re, non doleret corpus eius. idest, non corrumperetur, & mutaretur. & sic etiam sequeretur, vt non generaretur; sed esset ens, quod non deficit, nec deficiet. Cuius quidem rei rationem adiungit Hipp. idem, hoc in loco sui ipsius interpres verbis illis. *Nam neq. foret propter quod doleret, cum unum esset*. ad hoc enim, vt aliquid patiatur, necesse est, quod adsit etiam agens; alioquin nulla fieret passio: vbi agens, & patiens, ibi plura vno necesse est fateri. in homine dolor, & passio reperitur, ergo in homine plura vno. Si igitur homo esset vnum, non doleret: nunc autem dolet; ergo eum vnum quid esse, fateri non debemus; sed ex pluribus constitutum, credendum. Et vt maiorem absurditatem in hoc eodem placito ostenderet ita dicit in illo loco, *Quod si etiam doleat, &c.* Sed dato etiam quod doleat; quod tamen est impossibile; a nulla alia re concitatus, sed ex eadem vnica, ac simplici, ex qua componitur; tunc omnino fatendum erit vnũ tantum esse dolorem. tenet autem haec sequela hoc modo. Dicunt illi hominem esse vnum, & eum dolere posse. sed ab vno, quatenus vnum non prouenit, nisi vnum. vt
56. tex. dicitur ij. de ortu, & interitu. ergo vnica doloris specie

affligi tantum poterit. vnicus est dolor, ergo & vna est sanatio; & vnicum remedium ratio erit, vt habetur ab Arist. 3. de coelo. quia vni, inquantum vnum, non est nisi vnum contrarium. Verum falsum est vnica sanationis specie, omnes homines a quauis aegritudine, quouis ue dolore sanari: ergo & falsum hominem dolore affici posse, si vnicus, ac simplex extiterit. Ex ijs omnibus concluditur aperte falsum esse, antiquorum placitum illud, quo hominem vna tantum re compositum esse volebant. quae ab Hipp. ita clare hic explicata habemus, vt minime longiorem requirerent orationem. Verum quoniam Gal. 3. de elem. hanc eandem Hipp. orationē doctissimis, & grauissimis verbis ad cognoscendum auctoris nostri artificium, explicat; ideo nonnulla hic breuiter ad mentem eius perstringere decreuimus. Et primo notat Gal. vetustissimam Hipp. consuetudinem, qui cum vnum dixerit, reliqua similis naturae adiungere ceteris permittit. quod alijs quamplurimis in locis animaduertit, & pariter hoc in loco ex industria obseruat. Nam sicuti ex dolore redarguit Hipp. antiquos, ita eos & ex delectatione, & sensu conuinci posse, concludit Galenus. Nam si homo vnum esset, neutiquam sentiret, cum non minus ad sentiendum, & agens, & patiens; quae sunt plura vno; quam ad dolorem, requirantur: idem & de voluptate dicendum; idem de memoria; de phantasia; & ceteris animae functionibus; quae ex sensu ortum ducunt, affirmari posse, asserit. Quod si haec non adessent, nec profecto anima ipsa adesset. Deinde annotat Galenus, cum duae sint in hoc textu argumentationes; quarum prima est, si homo esset vnum, non doleret. secunda, si doleret, vnica esset sanatio; ambas eodem penitus modo, eademq. penitus forma syllogistica procedere. Hipp. enim in vtraq. ex opposito consequentis, intendit concludere oppositum antecedentis; hoc pacto: si homo esset vnum, non doleret: dolet, igitur non est vnum. eodem pacto &

3. tex. (margin)
3. cap. (margin)

secunda procedit. si doleret vnum existens, vnicum esset remedium: at multifariam curari hominibus contigit, ergo non dolet homo vnus existens. Deinde declarat quo modo sequatur hoc. si homo doleret, vnus esset medicationis modus. Nam quod a nulla alia re cogi potest, ex se tantum necesse est patiatur. si ex se, ergo cum propria vnuscuiusq. rei vna sit natura, erit quidē & passio vna. si vna, ergo & reditus ad naturalem statum vnus; ergo & sanatio vna. Postremo animaduertit Galenus illam argumentationem, si homo doleret, vnus esset sanationis modus, ab Hipp. ex superabundanti, vt exactius aduersarios corripere posset, fuisse tantum adiunctam. Sat enim erat dixisse: homo dolet; igitur non est vnus. Et satis, superq. victi ex hoc vno tantum argumento, euadebant. Sed voluit etiā, impossibili dato, nempe, quod doleret, ex sanatione ostendere, nequaquam hominem ex vna tantum re compositum esse. Subinde vero, quam hoc sit falsum, vno tantum medelae modo morbos hominum curari, exemplis demonstrat. siquidem hic calidis, ille frigidis; vnus humidis, alter siccis, alius astringentibus, laxantibus ue, & reliquis huiusmodi qualitatibus, sanitati sunt restituti. Haec igitur omnia ex Galeno, quia satis artificiose dicta sunt, cum huic loco maxime cōducere videantur, annotare volui. Verum ex doctissimis viris nō defuerunt, quos tantum abest hanc Hipp. rationem, si homo vnus esset, non doleret, potentissimā, vt ait Galenus, credidisse, vt potius eam infirmissimam iudicarint. Ad id enim, quod dicit Hipp. si homo vnum esset, non doleret, negant sequelam, quia potest esse, inquiunt, quod homo vna re constet intrinsece, sed quae sit alterationibus rerum externarum obnoxia; quo pacto passibilis omnino erit. & eo magis, quia videtur Hipp. in iiij. contextu, antiquos hominis materiam vnam ponentes eam a calido, & frigido posse cogi, asseruisse. Illa ergo materia ab extrinsecis alterari potest. quare & ho-

mo dolore affici poterit. Non erit igitur verum in vniuersum proferre, si homo esset vnus, non doleret. Itaq. meas partes esse duxerunt, quia Hipp. expono, hanc omnino tollere difficultatem. Huic dubitationi facillime obuiam iri posse crediderim. Nam etsi antiqui cognouissent hominis materiam ab extrinsecis rebus, praecipue vero calido, & frigido immutari posse, (quod tamen tam de philosophis, quam de medicis dictũ minime credo) & hoc pacto hominem doliturum, non tamen propterea destitutus erit Hipp. quin ex absurditatibus, quae consequuntur eorum opiniones, easdem tollere possit: siquidem si verum est, hominem ex vna tantum re constitui, nihilominus sequitur, quod numquam continget, eum ab interna caussa dolere, afficiq. Sed istud quam manifestissime falsum esse deprehenditur. Siquidem nemo nescit dolorem saepissime ab interna caussa oriri Insuper animaduersione illud dignum est, ex antiquioribus philosophis, qui hominem vnum ex elementis con formare volebant, illud ex calido, & frigido cogi posse, non dixisse. Quod autẽ ab Hipp. iiij. tex. dicitur, de medicis tantum pronuntiatum intelligi debet: vt recte inspicienti locum illum apparebit. Quamobrem ratio haec magis aduersus philosophos, quam aduersus medicos pugnabit. idq. ex duobus testimonijs clarissimum euadet. Nam Gal. j. de elem. hanc eandem rationem, tamquam philosophos tantum oppugnantem, exponit. Praeterea in hac eadem expositione, quam maxime illam valere aduersus ponentes atoma, asserit. quia inalterabilia, impatibiliaq. ab antiquis ponebantur. Haec igitur sunt apertissima indicia, huius praecipue illum mentis fuisse, vt eos, qui principia, nullo pacto alterabilia posuerunt, merito corriperet: in his esse iam connumeratos philosophos arbitramur; non autẽ medicos, qui principia sua alterationibus maxime obnoxia constituebãt. Quamobrem si antiqui isti, vt voluit Galenus, ex illis

2. expo. ſuis principijs cetera fieri concedebant ex concretione tantum, & ſecretione; nullo pacto eadem coacta a calido, & frigido, mutata forma, & facultate procreare alia aſſeruerunt. Hoc enim pacto veram cognouiſsent in rebus generationem. quod tamen quam a veritate alienũ ſit; & ab jis, quae ab Ariſt. libris de ortu, & interitu dicuntur, remotum; non eſt, qui non videat. Aduerſus vero medicos valebit equidem huiuſmodi argumentatio, ſed vno tantum eorum, quos iam diximus, modo. ſi homo eſſet vnum, neutiquam ab interna cauſſa doleret. nunc autem hoc modo dolet. ergo homo non eſt vnum. Alio vero modo nullus eſſet, quia praeter humorem, calidum, & frigidum externum ad rerum ortum admittebant. Et haec, quibus omnem prorſus demptam dubitationem, firmiſſime credimus; dicta ſint. Notandum
11. tex. hoc in tex. Ariſt. ab Hipp. idem refellendi antiquos ſumpſiſſe artificium. primo enim phyſ. aggreſſurus diſputationem aduerſus veteres philpſophos, dixit. Supponatur nobis, aut omnia, aut aliqua moueri; vt inde ex motu, eos redarguere poſſet. quo pacto Hipp. ex dolore, quem ſibi aſſumit veluti ab omnibus conceſſum, antiquorum ſententiam de hominis vnico principio proſternendi anſam ſumit. Idem obſeruatum fuiſſe in lib. phyſ. ab Ariſt. quod hic ab Hipp. obſeruatum videmus, notat Ga-
5. cap. len. j. de elem. Nam cum dixiſſet Parmenidis, & Meliſſi ſententias, quoniam ſcientiam de natura deſtruebant, nullam requirere reprobationẽ: in progreſſu tamen ſuae tractationis illis ſe contradicentem oſtendit. Hoc idem Hipp. eueniſſe videmus. Cum enim antea dixiſſet, eos, qui artis medicae principia deſtruunt, vnum tantum ſtatuentes elementum, iſtius ſermonis non eſſe idoneos auditores, mox tamen apparet ipſorum deſtruere opinionem. Admonet Galenus in expoſitione rationem hanc, quae dicit, ſi homo vnum eſſet, dolere non afficeretur; valere etiam aduerſus eos, qui ponunt indiuiſa, incon-

cinna, & minima elementa; quae ἀτόμους vocant, huma nam naturam conformare, seq. alibi hoc dixisse indicat. locus est j. de elem. vbi his verbis, quod hic breuissime tangit, lucidissime pertractat. loquitur enim de Epicuro, & Democrito; & inquit. Quod neq. volunt aliquo modo ipsa posse alterari, illis, scilicet, alterationibus, quibus omnes homines, sensu docente, suum praestant assensum. veluti neq. aliquod illorum inquiunt calefieri, neque frigefieri, eodem modo, neque exsiccari, neq. humectari: multo autem magis neq. nigredinem, neq. albedinem, neq. aliam aliquam omnino suscipere qualitatem, secundum vllum agens transmutationis. Non absq. ratione igitur ipsis Hipp. contradicens, haec verba profert: numquam dolore correptum iri hominē, si tali sit natura praeditus: Nam quod dolore affici debeat, haec duo habere opportet ex necessitate; esse, scilicet, alterabile, & sentiri potens: nam si nullam omnino admitteret alterationem, eundem, quem ab initio, gessit habitum, continuo seruabit. at quod dolet nequiquam seruat. 2.cap.

VI.

Nunc uero multa. nam multa in corpore habentur, quae ubi a se mutuo praeter naturam calefiant, refrigerentur ue, siccentur aut humectentur, gignunt morbos. Vnde sunt multorum species; & multiplex quoq. eorum curatio.

COMMENTARIVS.

Quia dixerat Hipp. superioribus verbis, quod si homo vnum existens secundum opinionem antiquorum, doleret, vnica etiam esset sanatio: nunc vult ostendere nullo pacto affirmari posse, vnum tantum genus medicationis inueniri. Quod vt faciat, sibi assumit varios esse morbos; idq. ex manifeste apparentibus monstrat. Si qui-

dem nulla sunt, in corpore nostro, quae cum a quodam sibi statuto temperamento recesserint, illico morbos inducunt. Si igitur plures sunt morbi, ergo & plura remedia. quia quod vni conducit, alteri nocumento esse poterit. & quia hunc vna re, illum vero alia sanatum vidimus. vt declarauit Gal. loco illo j. de elem. quem proxime, expositione superiori, citauimus. *Nũc autem multa:* scilicet, remedia inueniuntur, siue necessaria sunt medico. idq. probat, quia *multa in corpore habentur, quae ubi a se multo praeter naturam calefiant, refrigerentur, siccentur, humectentur ue, gignunt morbos.* Quod quidẽ de elementis pronuntiatum illa potissimum ratione intelligi potest; quia ijs vocibus, calido, frigido, humido, & sicco, elementa vocata saepe, ac saepius nominare consueuit Hipp. vt iã diximus. Maxime vero de humoribus exponi debet; cũ ob id, quod & in humoribus adsunt hae qualitates; tum quia re ipsa humoribus proprie, nõ elementis, morborũ caussas ascribimus. vt praeter Hip. de hac re sentẽtiam, res ipsa, & Galenus testantur. qui viij. de decretis Hipp. & Platonis, id scriptum reliquit. Nam quotiescunq. alter altero sit validior, necesse est modum a natura ipsis constitutum corrumpi, labiq. quod nil aliud est, quam morbus. sicuti nil aliud est sanitas, nisi symetria, ac symphonia quaedam horum omnium naturaliter se habentium. Reuocabit quis in dubium hoc in loco; cur cum ex apparentibus indicare voluerit Hipp. varijs modis hominem corripi morbis: cumq. tribus modis ex humoribus aliquem laborare contingat; ex intemperie; ex quãtitate superaucta, diminuta ue; & loci mutatione: vt videbimus infra. cur est inquam, quod vnius tantummodo meminit ceteris relictis? Dicerem sat fuisse Hipp. ad ostendendum multifariam hominem aegrotare, istud probare vno illorum trium modorum, & praecipue illo, quo quattuor modis simplicissimis aegrotare contigit. Siquidem ex simplici intemperie laborant quandoq. homines

3. cap. (margin, beside "dimus")
4. cap. (margin, beside "res ipsa")
19. tex. (margin, beside "do meminit")

mines minus calefacti; non raro frigefacti; aliquando exsiccati; nonnumquam humectatati. Non est autem in ostendendo proposito suo ceteris duobus vsus; quia, quo modo istud peragere possint, numdum docuit. Nemo autem est, qui nesciat; ne dum ex qualitatibus nimium, vel extra admotis, vel intus auctis, aliquando morbos, sed mortem quoq. euenisse.

VII.

Ego uero aequum esse censeo, ut is, qui asserit hominem solum sanguinem, nec quidquam aliud esse; ostendat illum nequaquam formam commutare; aut fieri omnimodum. Sed quodam anni tempore, aut aetatis ipsius hominis, quo solus in homine sanguis inesse appareat. Nam alioqui consentaneum est, tempus aliquod esse, quo illud in se unum esse appareat. eadem quoq. illis ego opposuerim, qui pituitam aiunt, aut bilem hominem esse.

COMMENTARIVS.

Persistit adhuc Hipp. in inquirendo num homo sit simplex, vel multiplex. cumq. superiori oratione impugnauerit illud, quod commune habebant philosophi, & medici inter se; ostenderitq. nequaquam fieri posse, hominem vnum, quidquid illud fuerit, existere: nunc medicis illud particulariter obijcit, vt ait Gal. ij. de elem. quod si verum esset, hominem vnico constare humore, tunc opus esset, eundem semper sub eadem forma, idest, sub eodem temperamento permanere, *neq. fieri omnimodum*, idest, neq. modo huius, modo illius effici temperamenti. quod tamen minime ostendi potest. si quidem ratione aetatum, & anni temporum, temperaméta hominum alterari ob diuersos dominantes humores, sciunt medici omnes, quod non tantum ratione aetatis, & constitutionis aeris, sed ob infinitas alias caussas euenire potest. Et quoniam mos est Hipp. vt notauit Gal. j. de elem. ex superabundantia redarguere aduersarios: quamuis illud ex se

4.cap.
3.cap.

satis esset ad demonstrandam falsitatem opinionis veterum medicorum, hominem, nempe, perpetuo eiusdem esse formae, seu temperamenti, si ex vno tantum principio traxit originem: tamen ipse ad maiorem sui opinioni fidem faciendam, dicit. quod dato etiam non semper eundem sub eadem forma reperiri posse, saltem deberent ostendere vel tempus anni quoddam, vel hominis certã aetatem, in quibus id, quod principium esset, solum in corpore se se ostenderet. Verum neq. semper, neq. aliquo tempore istud ostendi poterit. quoniam, vt infra videbimus, in omni anni tempore ex medicamentis purgantibus obseruatum est, plures reperiri in corpore humano humores. ergo falsum perpetuo erit, hominem ex vno tantum humore constitutum esse. Quo modo autem haec Hipp. argumentatio valeat, ambigere quispiam poterit. minime vero, qui Arist. student. Ad hanc igitur dubitationem dicendum; quod cum res illa, quae humanum corpus constituit, necessario principium nuncupari debeat, ideo ex Arist. regula, semper existere debet.
50.tex. Principia.enim, vt habetur j.phys. perpetuo manere oportet. quam quidem regulam, non aliunde accepit Arist. quam ex hoc loco. Nec illud quis mihi obijciat, dictũ illud communiter non intelligi de materia; de qua numdum locutum aliquid fuisse Arist. animaduertunt nonnulli. Et hic ab Hipp. de humoribus potissimum, vt sunt hominis materia, verba fieri. quia vt iam supra diximus in praefatione, humores non tantum in hoc libro, quatenus caussa materialis esse dicuntur, ab Hipp. accepti fuerunt; sed quatenus habent in se etiam & agendi principium. & quoniam omnis actio a forma, ideo & vt hominis forma, non tantũ vt materia, considerantur. Aduersus medicos non tantum hoc in loco Hipp. disputat, sed longe exquisitius infra idem praestat. Verum cum ad locum proprium deueniremus, quid fuerit in caussa, quod Hipp. duobus in locis medicos impugnauerit, declarabimus.

VIII.

Ego quippe quaecunq. ſecundum legem, & ſecundum naturam eſſe hominem dixero, illa oſtendam eadem ſemper eſſe, pariter in iuuene, & in ſene, frigidiori anni tempore, & calidiori. coniecturas praeterea afferam, & cauſſas inſinuabo, propter quas ex neceſſitate quodlibet eorum in corpore increſcit, ac contabeſcit.

COMMENTARIVS.

Prius quam deueniat Hipp. ad tractationem de principijs componentibus hominis naturam: & de eorum qualitatibus, ac conditionibus verba facere aggrediatur, pollicetur ſe oſtenſurum principia ab ſe poſita, ſemper eſſe in hominibus; ſimili modo in iuuenibus, & ſenibus: anni tempore calido, & frigido. & ad iſtud probandum, ſe velle duo probationum genera adducere, legem, ſcilicet, i deſt hominum conſuetudinem, vel potius aſſenſum; & naturam rerum ipſam, ſpondet. quae duo maxima ad aliquid aſſerendum ſunt fundamenta. Et quoniã neminem adeo ſtolidum eſſe credendum eſt, qui rei veritatem concordem noſtris dictis requiri neget, cum aliquid ſerio aſſerimus, ideo de ea nil aliud afferam. Quãtam autem vim habeat conſuetudo ad aliquid firmiter tenendum, videre eſt apud Ariſt. ij. methaphyſ. & apud Auerr. j. phyſ. Sed ad rem. Quoniam igitur Hipp. textu ſuperiori oppoſuerat medicis, eos non poſſe ſuum illud principium ſolum, nec per minimum temporis ſpacium, nec vlla in hominis aetate ſemper permanens, perſiſtẽſq. oſtendere; ideo ipſe principia ſua perpetuo in omni aetate, & in omni anni tempore reperiri ſe demonſtraturum in praeſens promittit. teſtaturq. omnia probaturum ex lege; & natura ita ſe habere. nimirũ & ita homines aſſerere, & ita eſſe ſecundum rei veritatem. Quoniam autem poſiturus erat principia alterationibus obnoxia, minui, & augeri valentia: & quia hoc erat quo-

14. tex, 61. expo.

dam modo contrarium verbis, quibus superius dixerat, eã semper esse simili modo in iuuene; & in sene, frigido anni tempore, & calido: ideo subiungit, se demonstraturum esse rationem, & necessitatem, quibus haec adaugeri, & minui quibusdam certis temporibus omnino debeant: omniaq. haec, quae pollicitus est Hipp. hoc in loco ad vnguem, & religiose quodam modo, & arte quadam diuinissima in progressu obseruat. & quoniam verba adeo sunt clara, vt ne indigeant quidem minima expositione, ijs relictis, annotabimus tantum quaedam pauca. Et primo, quoniam Hipp. dixit, se velle ostendere nullam hominis aetatem inueniri, nullumq. anni tempus excogitari posse, in quibus principia, quae ab eo ponentur, non reperiantur in hominibus κατὰ τὸν νόμον, id est, secundum legem, vel secundum hominum existimationem; videndum est, quid praeseferant haec verba. Aliquid esse tale κατὰ τὸν νόμον, vel νόμῳ, duobus modis intelligi solet. vno quidem modo, vt id quod est secundum existimationem, sit etiam secundum rei veritatem, & κατὰ τὴν φύσιν. Altero modo, vt omnino diuersa sit existimatio, & opinio, ab eo, quod est secundum na-
3. expo. turam. Lex enim, vt dicit Auerr. j. coeli, & institutio
» positae sunt voluntariae, & res voluntariae, quae vere
» ponuntur, assimilantur naturalibus, & sequuntur opus
» eius: ijs vero, quae non sunt similes naturae, & quae illi repugnãt, aduersatur esse ἐτεῇ, idest vere. vt notat Gal.
2. cap. j. de elem. Vbi sententia Democriti narratur, qui omnia ex conuentu atomorum fieri autumabat. Refert autem Gal. vt etiam supra notauimus, eum omnia, quae sunt, posuisse ita esse κατὰ τὸν νόμον. idest, secundum existimationem nostram. non autem ἐτεῇ, aut κατὰ τὴν φύσιν. idest, vere, & secundum naturam. Quando igitur pollicetur Hipp. se velle demonstrare principia sua semper inesse non dissimili modo in iuuenibus, & senibus; &c. secundum legem, neminem ambigere est credendum, eũ

intellexisse de opinione, & existimatione hominum, cui minime rei natura, & veritas refragatur. cum maxime subiungat, & secundum naturam idem praestaturum. Secundo versio Trincauelij consideranda venit. nam quod graece apud Hipp. est ἐγὼ μὲν γὰρ ἀποδείξω ἃ ἂν φήσω τὸν ἄνθρωπον εἶναι καὶ κατὰ τὸν νόμον, καὶ κατὰ τὴν φύσιν εἰ ταῦτα ἐόντα ὅμοια. &c. Ipse vertit. Ego quippe quaecunq. secundum legem, & secundum naturam esse hominem dixero, illa ostendam eadem semper esse. &c. quae trãslatio nullo modo cõstare potest. Aliud enim est velle ostendere principia iuxta hominum existimationem, & secundum rei veritatem posita esse eadem. &c. quod innuere videtur expositio haec. Et aliud est velle ostẽdere haec principia siue malis elemẽta, ita se habere i. ea pari pacto in omni aetate, & in omni anni tempore reperiri secundum rei veritatẽ, & ab omnibus ita teneri; quod est Hipp. institutum hoc in loco. Praeterea male etiam vertit verbum ταῦτα, eadem; cum haec, debuisset potius dicere, nulla enim ab Hipp. probatur principiorum abse positorum identitas, hoc in lib. Tantum enim ostendit humores quattuor, quos ipse humanae naturae statuit principia, eos esse, quibus natura usa est in componendo homine. & quorum singulis ab omnibus hominibus inditum est proprium nomen; vt videbimus. Nullo igitur pacto accipienda est horum verborum interpretatio haec. cui praeter id, quod diximus, illud manifestissime refragatur; quod in processu postmodum dũ probat Hipp. quattuor humores esse corporis nostri elementa, haec eadem reassumit capita, vbi hunc locum indicare volens, testatur, se pollicitum fuisse istud hoc modo demonstraturum. quamobrem rectius, & intelligibilius non nulli alii verba haec transtulerunt. Andernacus ea ita vertit. Ego siquidem quaecunq. esse hominem dixero, & secundum legem, & secundum naturam ea semper inesse similiter &c. demonstrabo. haec enim versio, 2. cap.

quae propriae ea semper esse tum in omni aetate, tum & in omni anni tempore ostendere vult ex lege, & ex natura; explicatius Hipp. mentem promit, quam Trincauellij expositio. Tertio notare pleruntArist. studiosi hanc eandem Hipp. viam, ab ipso fuisse obseruatam. Nam. j. phys. vbi materiam diuersam esse a priuatione probat, id confirmat tum νόμῳ, siue hominum consuetudine, qui cõmuniter de priuatione dicunt hoc fit hoc, & ex hoc fit hoc. de subiecto vero, idest, de materia, hoc fit hoc. tum etiam κατὰ τὴν φύσιν, idest secũdum rem ipsam. quod quidem est, ac secundum naturam. Quo modo autem hoc faciat; quia longiorem requireret orationem, cum pluribus rationibus id probet, & quia scire huic loco non conducit, explicare praetermittimus.

61. tex. & sequentibus.

IX.

Primum itaq. necesse est, ut eius generatio non sit ex uno. Quomodo enim quod unum est, poterit aliud gignere, nisi alicui commisceatur.

COMMENTARIVS.

Postquam Hipp. antiquorum opiniones hominis naturam vnicam asserentium, damnaret, ex quo concludere voluit, hominem esse plura vno; descripseratq. modũ, quo vsurus erat, ad demonstrãdum sua principia perpetuo cum in omni aetate, tum & in omni anni tempore reperiri: reliquum erat, vt aggrederetur hanc tractationem. Verum quoniam quis ambigere potuisset, antiquos eos, tantum modo damnari ab Hippo. qui vel vnum ex elemẽtis, vel vnum ex humoribus hominis naturam statuebant (horum enim tantummodo mentionem fecit) non autem omnes alios, qui quauis alia re simplici hominem cõponi, asserere ausi essent. & quia posset quis concedere

hominem neq. ex vno tantum elementorum, neq. ex aliquo humorum constare, & tamen credere eum esse aliã rem quandam simplicem diuersam & ab elementis, & ab humoribus; ob id priusquam de numero principiorum suorum verba faciat, quattuor rationibus probat fieri nequaquam posse, vt homo ex vno quopiam generetur. Ex ijs vero, tres ex modo generationis, vnam vero ex modo corruptionis desumpsit. At earum, quae ex ortu rem hanc concludunt, vnam habemus in hoc textu. cuius robur consistit in hoc; quod nulla nos cogit necessitas, idest, natura rei ipsa, ad ponendum vnicum hominis principium. quia minime fieri potest, vt ex vno aliquid generari possit. quod quidem ex se clarissimum euadit. Quo modo enim, inquit Hipp. ex vno aliquid generari possumus affirmare, cum ex vno tantum nisi alicui alterius rei commisceri contingat, aliquid oriri nõ potest? Hoc eodem artificio, ac eijsdem pene rationibus vsus est Arist. j. phys. Nam ipse non contentus destruxisse antiquorum opiniones, rationes, etiam subiungendas esse censet, cur, scilicet, non possint esse vna; & cur non sint infinita. Pariterq. aduersus asserentes principia esse infinita, dixit, nos nulla necessitate coactos; cum aliter generationem saluare possimus; hoc cõfiteri debere. Nec dissimili modo, postquam inuenit principia esse contraria, & esse duo contraria, vidẽsq. ex contrarijs nihil posse fieri; cum tantum absit, contraria posse sibi ipsis praebere materiam generationis, vt potius se ipsa destruant; ideo rationem mutuatus ab Hipp. dixit. Necesse est, vt aliud quippiam sit, quod recipere possit haec contraria. quo quidem pacto materiam primam Arist. inuenit; numerumq. principiorũ absolutissimũ reddidit.

43. tex.

51. tex. & sequentibus.

Ad haec Galenus, quia videbat Hipp. dicenti ex vno nihil generari, obijci posse plantarum semina, cum vna existant, aliquid generare; ideo hanc tollit dubitationẽ, dicens ea indigere externa moderatione caloris, & hu-

moris, ad hoc, vt ex ipsis aliquid oriri posſit. quo modo
3. cap. autem iſtud fiat, belliſſime declarauit Gal. lib. de formatione foetus. quem locum ſtudioſi videre poterunt. Argumentatur poſt modum Gelenus a minori ad maius. quod ſi verum eſt ex ſemine plantarum vnico exiſtente, nihil generari, multo magis erit verum hoc aſſerere de ſemine animalium. cum alia, ac longe praeſtantior, ſit ſtructura animalium, a plantarum formatione. Concludit deniq. Galenus ex ſolo mare, vel ex ſola foemina, citra mixtionem, nihil oriri poſſe. Quis forſan hoc in loco poterit Galeno inficias ire, cum experientia ipſa doceat quamplurimas aues, & infinitos piſces oua ſubuentanea edere. quae ex ſola foemina, abſq. maris congreſſu fieri, nemo eſt, qui neſciat. ergo falſum eſt, ex ſola foemina aliquid generari nō poſſe. Ad hanc dubitationē, neminē ip ſo Gal. acutiorem in reſpondendo iudicauimus. quãobrem, vt ſe ipſum defendat, appoſuimus verba, quae
4. cap. ſcripta reliquit lib. ij. de ſemine. quae ſic ſe habent.
" Animalia, quae ſicciore temperamento ſunt, vt aues pleraeq., & piſces etiam non pauci, oua gignere ſine maris concubitu ſolent. quamquam deeſt ſemper aliquid etiam ijs ad perfectionem; niſi maſculi caloris vigor acceſſerit. Non ſane quidem fieri non poteſt, vt talem animalis temperaturam excogitemus, quae abſq. alterius congreſſu, imperfectam ſobolem gignere valeat; difficilimum profecto eſt, ac fortaſse nullo modo eſse poteſt, vt animal aliquod in ſe integrum foetum, ſine maris coitu concipiat."

X.

Deinde niſi ea miſceantur, quae eiuſdem ſunt ordinis, quaeq. eadem ui praedita ſint: neq. generabunt, neq. unquam abſoluentur, quae cum nobis eadem ſint.

COMMENTARIVS.

Secunda ratio, quae ponitur hoc in textu, arguit hoc pacto a maiori ad minus. Si ex multis, niſi eiuſdem ſint generis,

generis, & eandem vim habeant, non generatur aliquid; multo minus ex vno tantũ generabitur homo. Optima, doctissimaq. argumentatio. Quod principia, quae rerũ generationes producere habent, necessario esse debeant eiusdem generis, vt dicit hic Hipp. omnium fere antiquorum sententia facile erit comprobare. Nam vnus ponebat plenum, & vacuum; alius rarum, & densum: nõnulli par, & impar; aliqui calidum, & frigidum: alij alia; quae quidem omnia, ex eo quod sunt contraria, eiusdem esse generis necesse est confiteri. Nam ea dicuntur esse contraria Arist. v. methaphy. quae sub eodẽ genere valde sunt remota. Pariter & eandem vim habere debent. nõ 16. tex. enim intelligas, quod omnia debeant esse vnius, & eiusdem qualitatis exquisite: vt exempli caussa; quod omnia, quae in alicuius rei naturalis generatione concurrunt, sint vel tantummodo calida, vel solummodo frigida; quia tunc nulla resultaret generatio. Sed debent habere eandem vim; hoc est; eandem vim agendi, & patiendi interse: apta, accommodaq. esse, inuicem sibi ipsis transmutari. hoc enim pacto optime fieri poterit generatio. Verba illa, ὀυδ' ἂν τὰ ἡμῖν ξυντέλοιντο: quae hoc pacto a Trincauelio vertuntur. *Neq. ea absoluerentur, quae cum nobis eadem sint*. vel vt Macchellus dixit, neq. eadem nobis astrui posſent. quaeq. iudicauit Gal. esse corrupta: in codice Basileae impresso insimul cum versione Andreae Brentij, adsunt equidem: sed ab eodem latinis verbis non fuerunt exposita. quoniam forsan opinatus fuerit, ea omnino esse superflua. Tamen, ne occasionem ea praetereundi quaerere velle videar, ideo nonnulla, quae si non demonstratiue, saltem probabiliter dici posſunt subiungam. Si enim loqueretur Hipp. de principijs, & caussis agentibus, quae extra rem ipsam esse dicuntur, pedibus, ac manibus in sententiam Gal. irem. Sed cum videam eum de hominis intrinsecis principijs potissimum vbiq. disputare aduersus antiquos,

expositioni eius fidem non adhibeo. Et ob id hunc locũ interpretatus sum, de intrinsecis rerum naturalium cõponentibus principijs. Quid modo verisimili ratione dici possit hac in re, mox explicabo; si prius quae sint eadem nobis demonstrauero. Eadem nobis esse dici merentur ea, quae materia nobiscum communia sunt, quẽ-
7. tex. admodum ex Arist. v. methaphy. colligi potest. Vbi explicat inter cetera, ea dici vna, quorum subiectum forma indifferens est. vt oleum, vinum, & cetera liquida. quae vna dicuntur, quia subiecta eorum materia est vna, nempe aqua. Communicant vero cum hominibus, quaecunq. praedita sunt quattuor humoribus; haec vero sunt animalia sanguinea: quemadmodum iam pluries diximus. Formetur modo Hipp. ratio hoc pacto. Nihil generatur nisi ea, ex quibus fieri debet, eiusdem sint generis, & eandem habeant facultatem: concludatur postmodum, ergo non tantum homo poterit ex vna re sola generari, *sed neq. pariter ea*: idest, animalia sanguinea, *quae sunt eadem nobis*. idest, quae eadem nobiscum materia communicant. Nec video (vt ingenue fatear, quod sentio) cum vere ex Arist. possimus dicere oleum, vinũ, & cetera liquida vna esse; quin possimus etiam hominẽ, & animalia sanguinea eadem statuere. cum eorum non minus communis materia esse dicantur humores, ac omnium liquidorum aqua. Haec nobis hoc in loco visa est satis probabilis expositio. quare eam minime silentio inuoluendã esse duximus. Vnde illam boni, aequiq. consulant doctiores. quid enim potest dici, quod verisimile sit, in verbis, vel ab aliquo parum iudiciose adscriptis; vel saltem corruptis? Doctissimi nõnulli viri, ideo verba haec corrupta crediderunt, quod coniungi cum principio cõtextus omnino debeant. & hoc pacto legi.
" Deinceps nec quae miscentur, generentur, neq. eadem
" nobis efficerẽtur, nisi quae eiusdem generis sunt, quaeq.
" eandem vim habent. Quam quidem correctionem hoc

in loco visum est mihi apponere, vt & ceteri suum iudicium adhibere possint. Verum cum adhuc anceps sim, an iuxta Galeni expositionem, nostram ue, ea correxerint; quem horum veriorem sensum secundum eorum opinionem afferre possim, ad praesens non habeo.

XI.

Item, nisi calidum cum frigido, & siccum cum humido mediocriter mutuo, & aequaliter se se habuerint; sed alterum altero plurimum praeualeat; ualidius nimirum imbecilliori, nulla unquam generatio fieri poterit.

COMMENTARIVS.

Tribus rationibus diximus Hippocratem ostendere hominem nequaquam ex vna tantum re fieri posse; quae ex modo ortus desumptae erant. prima fuit, quod minime necessitas vrget nos ad hoc asserendum. secunda erat, quod neq. ex pluribus aliquid fieri valet, nisi sint eiusdem generis; & nisi habeant quandam vim inter se communem agendi, & patiendi; inuicemq. se ipsa, in se ipsa transmutandi. ergo tanto minus ex vno. Nunc aggreditur tertiam rationem; quae quidem inter omnes aduersus antiquos quam maxime valet. haec sic se habet. Nisi quattuor qualitates primae elementorum inter se habuerint quãdam mediocritatem, & aequalitatẽ; adeo vt inter ipsas excessus aliquis reperiri non possit, generatio minime fieri potest. ergo a maiori ad minus; sicut dicebatur in superioris rationis expositione, cuius veluti declaratio est ista tertia probatio; tanto minus ex vno solo. Et vt videamus quo nitatur fundamento haec ratio; quia sumit calidum, & frigidum, & ceteras qualitates primas ad probandum hominis generationẽ ex vno fieri non posse; & quia numdum statuta sunt hominem componentia principia; ne quis ex ijs, quae numdum probata sunt, sumptam fuisse credat; Galeni doctissim-

animaduersionem super hunc locum, & super textum vj. quae j. de elem. habetur, adducam. Ego enim vbicunq; optima Galeni expositio dictorum Hipp. adduci poterit, nullam ei anteponendam ab homine ingenuo, censeo.

vlt. cap.

» Hippocrates igitur, ait Galenus, vt qui antiquae studeat » breuitati, postquam supra dixit, si vnum homo esset, » numquam doleret; postmodum vtitur calido, & frigido, » humido, & sicco ad omnes alterationes; ex apparenti » accipiens, quod corpora mutuo adhaerentia in se inui- » cem transmutari natura apta sunt, quia vel calefaciunt, » vel frigefaciunt, vel humectant, vel exsiccant. Ex eo au- » tem quod prius fuit monstratum omnem alterari substã- » tiam, videns esse destructam opinionem, quae ait, illam » quae videtur esse alteratio corporum, quandam esse con » cretionem, & discretionem, quemadmodum Epicurus, » & Democritus sentiebant. atq. altero modo rursus Ana- » xagoras, & Empedocles, quarum alter homiomereas, » idest, similares particulas, introduxit. Alter quattuor » elementa putauit nullam recipere transmutationem. » Nos vero rationem hanc explicantes, quanto ipsam ma- » nifestiorem, tanto etiam credibiliorem faciemus. fiet » autem oratio huiuscemodi. Si quidem dolemus, neq. » vna secundum speciem, neq. impatibilis est nostra sub- » stantia. Atqui si patitur, calefacta, & refrigerata, & hu » mectata patietur. Similiter autem & exsiccata. Nulla » enim aliarum qualitatum, potest id quod adhaeret, totũ » alterare per totum. neq. enim si graue leui, neq. leue » graui adhaereat; vel leue efficietur graue, vel graue leue. » neq. si aspero lene, vel rarum denso, vel crassum tenui vi- » cinum fiat, horum enim nullum potest sibi proximum to » tum alterare per totum. relinquitur ergo ipsum molle » adhuc, & densum, & tenax, & friabile. verum ex ijs, » molle quidem, & tenax, ad humidorum naturam atti- » nent. durum vero, & friabile ad sicca referuntur. nullę » vero aliae sunt, praeter has tactiles qualitates. Quod

autem ad visibiles, audibiles, vel gustabiles, vel odora- "
biles qualitates, materiae alterationes non sequantur, "
liquet vnicuiq. Sunt enim & istae ex tactilium genere. "
differunt autem ab ijs, quae proprie tactiles nominan- "
tur, quoniam neq. in omnibus generibus animalium in- "
ueniuntur; neq. totae subiectas substantias alterant. Si "
igitur hae quidem non nullorũ proprie sunt animalium, "
quae vero totam substantiam alterant, atq. transmutant "
primae sunt natura, & omnium entium communes; atq. "
elementorum effectrices, perspicuum existit, quod humi- "
ditas, siccitas, caliditas, & frigiditas vnam quamq. sub "
stantiam constituunt. Recte igitur Hipp. non hominis "
tantum, sed aliorum omnium naturam, ex calido, frigi- "
do, humido, & sicco constare inquit. haec enim inuicem "
agunt manifeste, vt omnium est confessione receptum. "
atq. haec actio non fit ex concretione, & discretione; sed "
ex ea, quae per totam substantiam fit passione, & alte- "
ratione. Haec sunt Galeni verba, ex quibus manifeste "
patet, Hipp. hanc rationem ex iam dictis accepisse; non ex dicendis; vt nonnulli credere potuissent.

Galenus autem in expositione optimo, ac quam apposito exemplo vsus est, ad declarandum excessum alicuius ex quattuor qualitatibus, vel alterius rei, quae ex ipsis proueniat, quo minus generatio fieri possit maxime impedimento esse. accipiens ea, quae dixit Hipp. v. aphor. 62. aphor. de caussis sterilitatis, & foecunditatis in mulieribus: quae quidem declaratio, ex eo magis doctior, artificiosiorq. euadit; quod ab eodem auctore sumpta est. quod quidem expositionis genus fidelissimum, artificiosissimumq. apud quemq. doctissimum virum habitum est. Nemo enim est, qui melius, quam auctor ipse, aliena arcana percipere possit.

XII.

Quare quo unquam pacto rationi consentaneum esse potest, ut aliquid ex uno fiat, quando ne ex pluribus quidem, nisi bene in-

ter se, quo ad temperamentũ attinet, illa se habeant, gignatur.

COMMENTARIVS.

Quoniam duabus argumentationibus Hipp. superius vsus est, quae a maiori ad minus procedebant, absq. conclusione; in hac oratione eam subiungit. quae talis est; si ex pluribus non est videre aliquid fieri posse, nisi optime habuerint partes componentes iuxta temperamentum, ergo tanto minus ex vno. hominem igitur vnum esse minime fatendum erit. Notat Gal. in expositione Empedoclis opinionem, quae ex quattuor elementis, non mutuo attemperatis, sed adiacentibus, & se se tangentibus iuxta exiguas partes, omnia fieri dicebat, iisdẽ reprehẽsionibus subijci; quibus subiacent eorum sententiae, qui ex insensibilibus corporibus, sensibile corpus constituunt. Nam eodem penitus pacto possumus Hipp. rationem aduersus Empedoclem adducere, quo aduersus ponentes quattuor corpora prima insensibilia; quia si homo ex quattuor elementis nullam transmutationem patientibus componeretur, non doleret. quia ex hac sola elementorum ad minimas partes vnione, nulla fit vera generatio; nullumq. resultat sensibile corpus. ergo nec homo sensibilis erit. quare neutiquã dolebit. Istud autem explicatius declarasse in libro de elementis, hoc in loco tradit Galenus, locus vero est .j. eiusdem voluminis lib. cap. ix.

XIII.

Necesse igitur est, cum talis sit, et aliorum omnium, ita etiam hominis natura, hominem non esse unum. sed unum quodq. eorum, quae quippiam ad generationem conferunt, talem aliquam habere uim in corpore, qualem etiam contulit.

COMMENTARIVS.

Declaratum est nihil posse generari; nisi calidum cum

frigido, & siccum cum humido mediocritatem, & aequalitatem interse mutuam habeant. Nunc vsus hoc tamquam fundamento infert hominem nullo pacto affirmandum esse vnum. cum vna, & eadem sit natura, & omnium aliorum generabilium, & hominis. sed potius fatendum est, *unumquodq. eorum, quae aliquid ad generationem conferunt* haec vero sunt quattuor elementa, *habere talem uim in corpore* nostro, ad illud constituendum; *qualem etiam contulit* alijs rebus generetioni obnoxijs. Et hoc pacto sicuti elementa aliarum rerum in generatione aliquid conferunt, ita & in homine idem praestare debent. cum sit vna, & eadem rerum generabilium, & hominum natura communis. Sed haec sunt plura in alijs, ergo vnum tantum non sufficit in homine. homo igitur vnum quid non erit. Verbum illud *natura*, hoc in loco accipiendum erit pro communibus principijs intrinsecis vnam quamq. rem componentibus. vt sumi ab Hipp. in praefatione nostra notauimus. quae quidem principia, ex proxime traditis, quattuor elementa esse, iam satis superq. vnusquisq. nouisse poterit. Argumentatio igitur erit talis. Vna, & eadem sunt intrinseca elementa vnuscuiusq. rei generabilis, & hominis; & haec multiplicia esse dicuntur omnibus alijs in rebus. ergo pariter & hominis plura erunt. hoc enim erat, quod aduersus antiquos concludere nitebatur Hipp. Neq. hoc in loco per naturam, hominis naturam, quae hoc in libro maxime quaeritur, quaeq. proprie ex quattuor humoribus constat, intelligerem. Siquidem Hipp. verba ne minimam hoc pacto continerent veritatem. cum dixerit omnium naturam esse vnam, & eandem, & hominum. Falsum enim est omnium rerum generabilium naturam constare ex humoribus. & si vere asseritur eandem ex elementis constitutam, & cōformatamq. omnium esse naturam. Sed res haec non indiget probatione. cum huc vsq. ab Hipp. haec verba tantum habuerimus, vbi de principijs componentibus locutus

fuit; calidum, frigidum, humidum, & ficcum. quae loco terrae, aeris, aquae. & ignis vsurpantur. Satq. fuit Hipp. hoc in loco aduersus asserentes hominem vnum esse, concludere eundem ex pluribus confici; quemadmodum & cetera omnia conficiuntur; quaecunq. illa fuerint. Quae vero hominis sit propria natura, non ex hoc loco, sed ex ijs, quae inferius ab Hipp. dicuntur, accipienda erit.

Notat Galenus in expositione aduersus quosdam male Hipp. exponentes, eum pro calido, frigido, ficco, & humido, intelligere quattuor elementa, appellatione sumpta a qualitatibus simplicibus, immixtis, ac summis. Ex quibus verbis hoc in loco, illa se se ingerit difficultas nō omnino contemplatione indigna. an ambae dicantur esse in summo qualitates in elementis, an vna tantum. tum quia apud Galenum res ipsa dubia euadit, cum quādoq. de vna tantum loqui videatur, quandoq. de ambabus: tum etiam quia apud philosophos hac de re versatur controuersia, quidq. tenendum sit, numdum satis est compertum. Res haec cum ab vtraq. parte accerrimos habuerit defensores, illud hoc in loco requirere videbatur, vt illius, hinc inde adductis rationibus, exactam tractaremus quaestionem. Quod quidē minime faciemus, tum quia expositoris officio abutaremur, tū quia huiusmodi negotium longe magis conuenit philosophis, quā medicis. Illud nobis tantummodo satius visum fuit, vt quid rem hanc apud philosophos dubiam faciat, ostendamus quidq. teneri iuxta eorū placita possit, declaremus. Quo vero ad medicos, illud solum quaeremus, numquid ab ipsis possint statui summae istae qualitates in elementis, nec ne. Ad rem igitur deuenientes cum elementa a philosophis ipsis dicantur esse corpora simplicia, & impermixta, si vna in illis ponitur tantummodo qualitas summa, alia vero remissa; statim propriā videntur amittere naturam; nec amplius corpora simplicia

plicia vocari poterunt. cum remissio in altera qualitate, non nisi ex permixtione rerum contrariarum fieri valeat. Quamobrem vt istud euitarent inconueniens Peripatetici quãplurimi bona fronte dixerunt, ambas adesse extremas qualitates in elementis. quibus subscripsit Auerroes pluribus in locis. praesertim vero iij.de coelo. (quamuis alijs in locis aliter senserit) in suamq. 69.expo. trahunt sententiam Arist.qui numerum elementorum, ex quattuor qualitatum inuicem combinationibus, vt vocant, quaternarium esse demonstrauit ij.de ortu,& interitu. Ex altera parte cum vidissent pleriq. alij, Arist.eodem ij. de ortu, & interitu. statuere terram magis esse sicci, quam frigidi; aquam magis frigidi, quam humidi; aerem magis humidi, quam calidi; ignem vero magis calidi, quam sicci: haud veriti sunt asserere, vnam tantũmodo qualitatem summam in vno quoq. elemento, inueniri: nec sola auctoritate Arist.contenti, rationes etiã quasdam ad suam comprobandam sententiam afferre voluerunt. quarum vna illa est. cum duarum qualitatum vnumquodq. elementorum vnam primo, aliam vero secundo sibi assumat, vt ex Arist. nuper attulimus, nequaquam erit verum dicere, eandem qualitatem duobus subiectis alterius speciei aeque primo conuenire. ideo cũ caliditas igni, & aeri conueniat, vni primo, alteri vero secundo tribuenda erit. caliditas certe magis propria est ignis; cum in propinquiori loco coeli positus sit, ergo secundo aeris erit. & quod vni primo conuenit, eidem maxime conuenit. vt ij.methaphy.habetur. Altera vero 4.tex. vtebantur ratione hoc pacto: qualitates in elementis, eorum formae nullo pacto statuendae sunt, vt aduersus Alexandrum disputauit Auerr.v.phys. iiij. coeli, & viij. 10.4.& methaphy. sed tantummodo qualitates consequentes 5.expo. formas eorum. Sed quia latent nomina vniuscuiusq. earum, ideo illud vsu comparatum est, vt loco formarum ijs qualitatibus vtantur homines. quamobrem si quali-

tates sunt, quid prohibet eas accipere posse intensionem, vt aiunt, & remissionem? Adiungunt praeterea illud: dato etiam esse formas, minime inconuenire, & intendi, & remitti posse in elementis. vt apertissime tenet Auerr. iij coeli. Et ratio est. quoniam formae elementorum dicuntur esse mediae cuiusdam naturae inter formas substantiales perfectas, & accidentia. Ex ijs igitur omnibus concludunt, vnam tantum in elementis concedendam esse qualitatem extremam, non autem duas. Quibus doctissimis, pariterq. firmissimis rationibus, coacti fuerunt nonnulli doctissimi viri, & praecipue excellentissimus Zimara, huius disceptationis hanc adinuenire solutionem. Aliquam qualitatem esse in summo in elementis, duobus modis intelligi potest, vel enim quo ad gradum formae; vel quo ad posse agere. hac distinctione allata subiungunt. quod si quis intelligat ambas qualitates in summo non esse in elementis, quo ad gradum formae, ita vt vna sit in summo, & alia sit remissa per suũ contrarium, vt quamplurimi post Alexandrum exposuisse visi sunt, neutiquam verum intelliget. Sed si hoc accipitur quantum ad potentiam agendi, in eorum sententiam it pedibus, ac manibus Zimara. & hoc pacto exponit dicta Arist. quae sibi videntur aduersari. Quando dicit Arist. j. meteorolog. terram esse frigidissimam, hoc esse verum quantum ad gradum formae concedit: quia frigiditas terrae non est admixta caliditati. Quando vero ij. de ortu, & interitu dicit, aquam esse magis frigidi, quã humidi; terram vero magis sicci, quam frigidi, &c. istud exponit ipse, quantum ad potestatem agendi. quia plus potest infrigidare aqua, quam terra. & plus valet terra in siccitate, quam ignis. & sic de singulis. Verum haec omnia apud philosophos, qui de elementis, quatenus corpora quaedã simplicia sunt, loquuntur, recte vndiq. disputata sunt: sed apud medicos longe aliter se habet negocium. Nam medici, cum sint artifices sensibus om-

57. expo.

In sol. cõtrad. sup. j. phys. 54. tex.

H

nibus in rebus quam maxime fidentes, elementa ipsa nō constituunt corpora impermixta, ac simplicia; sed ea cō fusissima, inuicemq. maxime admixta esse tenent. Gal. enim tum j. de elem. tum praesertim infra hoc eodem in lib. elementa minime esse syncera testatur. & caussam, cur syncera esse non debeant, subinde tradit. vt videbimus, cum ad locum illum deuenerimus. Et ne quis credat Gal. intelligere elementa non esse syncera aliquo alio modo, praeter admixtionem rerum contrariarum, audiat verba haec, quae ex eius ore prodierunt. At tu exigis a me, vt tibi ostendam in animalium corporibus terram synceram, atq. impermixtam; quam neq. tu in mundo talem potes ostendere? nam quamcunq. ipsius portionem assumpseris, statim haec & calorem, & humiditatem, & substantiam aeream participat. cum tamen terra, quam pro elemento intelligimus, sit maxime densa, grauis, & frigida, ac sicca. Deinde non nullis interpositis verbis subiungit. Quare si quaeris in animalibus terram, talem potes etiam reperire in mundo. impermixtam autem, & integram, & solam, neq. in illo facile inueneris. sicuti neq. aquam synceram, omnis mixtionis expertem, neq. ignem, neq. aerem. Haec omnia sunt adulterata, atq. alteri naturae commixta. Nec vllo pacto latuit veritas haec Aristoteli: si quidem & ipse ij. de ortu, & interitu non dari elementa syncera in vniuerso memoriae tradidit. Quae cum ita sint, quo modo poterimus nos, ex medicorū placitis statuere vnam, aut duas esse in elementis immixtas qualitates? quaobrem cum de summis agitur qualitatibus ab aliquo, sciant omnes de elementis tunc loquendum non esse, pro vt se habent; sed eo pacto, quo suapte natura essent, si inuenirentur syncera. Ex quo sequitur quaestionem istam philosophis, qui eorundem naturam, quatenus sunt corpora simplicia contemplantur; non medicis, qui eadem non nisi maxime permixta, agnoscunt, conuenire. vt iam diximus.

5. cap.
28. expo.
20. & 21. tex.

Quod vero ad Galenum attinet, adhuc anceps sum, an vnam, an duas ponat qualitates in summo in elementis, cum dubie, varijs in locis, loqui mihi visus sit. quidquid tamen hac de re scripsit, omne illud tamquam philosophice traditum, ab eodem, accipiendum est. siquidem si vera sunt eiusdem de elementis dicta, medici ipsi, vt medici, nequaquã poterunt tenere hanc, illam ue quaestionis partem, cum iam, ea non esse syncera, sed quam maxime admixta traditum sit.

Galenus idem, in hac eadem expositione, opinionem Athenei Attalei, qui quattuor qualitates primas omniũ elementa, vocabat, non autem ignem, aerem, aquam, & terram irridet. de qua re fusius aduersus eundem disputat j. de elem. lib. Hic vero satis breuiter, ac concise. in quibus expositionis huius verbis inesse etiam mendum in omuibus codicibus graecis, a verbis illis πῶς οὖν οἴονται τινὲς, vsq. ad illa εἰρηκότος τοῦ Ἱπποκράτους: notauit Trincauelius: quod pariter in versione Macchelli asterisco notatur. sed id quidem emendare, homini praesertim copia librorum manu scriptorum carente, ac solummodo opinione propria innixo, non dicam impossibile, sed omnino difficilimum iudico. Hermanus Curserius habebat forsan textum quam optime correctum. siquidẽ latina verborum eius interpretatio, satis clara, & absq. dubitatione videtur. Quae ita se habet. Qua igitur
" caussa adducti quidam humidum, siccum, frigidum, &
" calidum ab Hipp. existimant elementa cõstitui, vt quae
" in homine esse animaduertantur, ignem autem, aquam,
" aerem, & terram non recipi, eo quod in hominis corpo-
" re nihil videamus eorum, non intelligentes, quae appa-
" rent in corpore calida, frigida, sicca, & humida corpo-
" ris esse oculis subiecta elementa. quae quis esse com-
" munia omnium corporum elementa, dicat? Nemo sane,
" vel infantissimus.

e. cap.

XIV.

Rursus etiam necesse est, ut intereunte humano corpore, unum quodq. ad suam redeat naturam: humidum, ad humidum, siccum ad siccum, calidum ad calidum, & frigidum ad frigidum.

COMMENTARIVS.

Adducit Hipp. in hoc textu rationem, quam ex modo resolutionis, & interitus corporis humani desumptam esse, supra diximus, ad ostendendum hominis corpus ex pluribus constare rebus; quae hoc pacto ab effectu demõstrat: Corpus humanum in sui resolutione, & corruptione in plura abire contigit, ergo ex pluribus compositum fuisse, non est negandum. ex eoq. probat hominis elementa intrinseca, ad mundi elemẽta secedere, quia omnium animalium, & omnium generabilium, & corruptibilium, cum homine eadem est natura. ergo cum hoc eueniat ceteris ortui, & interitui obnoxijs corporibus, idem & de homine omnino dicere debemus. Admonet vero nos Gal. j. de elem. Hipp. accipere frigidum, calidũ, & ceteras qualitates primas, pro aqua, igne, & reliquis elementis. At hanc esse eiusdem particularem consuedinem, iam admonuimus. Secundo notat Gal. dum dicit calidum reuerti ad calidum, frigidum ad frigidum, &c. istud non esse intelligendum de qualitatibus tantum; vt caliditas mixti, reuertatur ad caliditatem ignis; & sic de singulis; sed de substantijs ipsorum elementorum: Nam soluto vinculo illo, quod elementa in vnum adnectebat in aliquo corpore naturali, vnum quodq. ipsorum veluti e carcere solutum, proprium locum petere, & ad sui simile tendere habet. Dicit Hipp. *necesse est*, cum sit res generabilis, & corruptibilis, ex ijs constans, *intereunte humano corpore, unumquodq.* scilicet, elementorum, *ad suam redire naturam*, hoc est, ex potentia, qua existunt in corporibus, ad actum perduci, & postmodum ceteris

permiſceri ſimpliciſſimis corporibus. Vel ſecundũ eos, qui elementa adeſſe in corporibus ſecundum ſubſtantias ſub eſſe refracto tenent; exponatur ſic. Vnum quodq. ipſorum hoc pacto refractum, in alicuius rei corruptione, & interitu, *redit ad ſuam naturam*, ideſt, ad ſuum eſſe perfectum, & integrum, dum ad mundi elementa rediens, ipſis permiſcetur. Duo dicit hic Hipp. quorum rationes inueſtigandae ſunt. primum, quod ex corpore corrupto fiunt elementa. ſecundum, quod haec elementa, ad ſuã naturam propriam redeunt. primi dicti ratio redditur paullo infra; quia vnum quodq. compoſitum, abit in ea, ex quibus conſtat, vel vt philoſophi verbis vtar, compoſitum reſoluitur in ea, ex quibus componitur. Quod vero ſecundo loco dixit Hipp. elementa, ſcilicet redire ad ſuam naturam, poſſumus dicere eum in verbo illo *neceſſe*, vnam potuiſſe tangere huius rei rationem; nempe neceſſitatem iſtud hoc pacto requirentem. quoniam enim ele-
87. expo. menta dicuntur eſſe in mixtis violenter, vt habemus ab Auer. ij. coeli. & extra locum ſuum naturalem in corporibus reperiuntur; ideo neceſſitate ducta, cum quae violenta ſunt, minime perpetua eſſe poſſint; coguntur aliquando ſeparari, & ad ſuam redire naturam, ſtatutaq. ſibi loca petere: calidum quidem ad calidum, frigidum ad frigidum, & ſic de ceteris. Praeter quam, duas alias rationes poſſumus addúcere; ſimilitudinem nempe, & motum. ſimilitudine trahi vnamquamq. partem elementi ad totum elementum, cum omne ſimile appetat ſuum ſimile, facile poſſumus perſuaderi. Ratione etiam motus vnum quodq. eorum proprium locum petere debet. nam ſtatim ac genitus eſt ignis, omnium corporum leuiſſimus efficitur; & ſurſum ferri aptiſſimus. quare niſi aliquid fuerit ei impedimento, ſuum naturalem locum confeſtim petet. ita & de omnibus alijs dicendum. Alias etiam poſſemus addere rationes, ſed ne videamur exquiſite nimis velle pertractare ea, quae minimum quid in medica fa-

cultate faciunt, eas studio praetermittimus: & ad vtiliora properamus. Superius ad mentem Galeni statuimus elementa in mixtorũ generatione nõ actu, sed potẽtia adinueniri; cum hanc vnam, & eandem esse Peripateticorum, & medicorum mentem diceremus. quod nõ tantum de actu illo, qui fit in instanti intelligendum est; sed de vnione illa miscibilium alteratorum, ex quibus resultat forma, & compositio corporis naturalis. Adeo vt tam in actu ipsius generationis, quam etiam postquã genitum est mixtum, verum sit asserere, elementa potentia, non actu in eis adinueniri. Modo hoc stante, ex ijs, quae hoc in loco diximus, oppositum omnino asserendũ esse videtur. Gal. namq. j. de elem. vt ostenderet Hipp. per voces has calidum, frigidum, humidum, & siccum, non tantum summas intelligere qualitates, verum etiã corpora ipsa, in quibus hae in summo esse dicũtur, terrã, scilicet, aquam, aerem, & ignem; verba Hipp. in hoc eodem contextu contenta in medium affert. post quae hoc pacto loquitur. Non solum ait qualitates siccum, & humidũ, calidum, & frigidum, sed ipsas substantias, in quibus sunt qualitates. ipsae enim sunt, quae recedunt in hominis morte, & vniuersi elementis commiscentur. qualitates vero corrũpi quidem in hominis morte dicerentur, ad propriam vero reuerti naturam, non dicerentur. igitur si ex hominis corpore intereunte, elementa ipsa corporea secedere ad mundi elementa verum est asserere, erit pariter concludendum, & eadem actu in corpore, non potentia, existere. Sed praeter hanc Galeni auctoritatẽ, adsunt & duo alij eiusdem loci, in quibus id ipsum affirmare videtur. viij. enim de decretis Hipp. & Platonis libro. ij s verbis aquam iuxta naturam suam reperiri in corporibus, scriptum reliquit. Solum autem aereũ elementum in animalium corporibus iuxta naturam suam tum in inspirationibus, tum in pulsibus cernimus praestitisse. quin etiam in palpitatorijs affectibus,

2. c. xpo.

8. cap.

4. cap.

„ inflationibus, tumoribus, atq. in ijs, quos flatus dicere
6.cap. consuenimus. Et j. de elem. non tantum de aqua locutus
est, sed etiam de omnibus alijs, vt patet in ijs verbis. At
„ qui & mundi elementis synceris saepissime vtimur; aqua
„ quidem quotidie & in potu; & in balneis, & quouis alio
„ modo. aere vero nobis vndequaq. adiacente, ac per in-
„ spirationem attracto. & non numquam algentes indige-
„ mus igne. Quare nescio quid velint concludere inquie-
„ tes, quod neq. extrahimus, neque corpori imponimus
„ ignem, aquam, aerem, & terram. Ego enim illum, qui in
„ gelu ab igne calefit, dico ignem in corpus resumere; &
„ qui aquam bibit, aquam; & qui respirat eadem ratione
„ aerem. Et quidem, quaecunq. animalia vel arenam, vel
„ terram, vel lapides, vel coenum, vel ossa comedunt, haec
„ omnia liquido intra corpus terram assumunt. Quam-
obrem nostra interest ijs omnibus respondere, ne Galenũ
ipsum sibi repugnantem faciamus. Nodum igitur dua-
rum vltimo loco adductarum rationum tali pacto dissol-
uebam: Aliud est loqui de mixtione illa quattuor ele-
mentorum, ex qua resultat forma, & compositio alicuius
corporis naturalis, quam fieri negant medici, & Peripa-
tetici interuentu substantiae elementorum. aliud vero
de conseruatione ipsius animalis, postquam genitum est;
pro quo conseruando non negamus quandoq. aerem, &
aquam, & cetera elementa, & coenum, & terram, vt po-
te aliquibus animalibus alimenta, illud realiter ingredi.
vel de eo quod est praeter naturam. quo pacto quandoq.
aer, vt in affectibus palpitatorijs, vel in inflationibus, &
ceteris huiusmodi; vel coenum, & terram aliquo casu in
gesta, animalis corpus ingrediuntur, vt dicitur locis al-
legatis. ex quibus concludere non possumus eodem
prorsus pacto ingredi elemẽta in mixtione, compositio-
neq. formali rerum naturalium. Sed excellentissimus
Paternus, quem commentarioli huiusce mei censorem
habui, hoc pacto respondet: Sententia Galeni viij. de
decretis

decretis Hipp. & Platonis libro, ita intelligenda est, vt occurratur tacitae obiectioni. Nam dixerat elementa actu in corporibus non consistere humanis, probauerat autem hoc de igne, aqua, & terra; de aere vero dubium esse poterat. quia dum inspiramus, in nobis actu est; & in flatuosis affectibus, vt inquit Galenus, verum est tunc in nobis reperiri. Verumtamen aer hic non facit ad nostrorum corporum constitutionem, vt ex eo membra ipsa constituantur. quare neq. aer actu esse in nobis dici potest, quatenus est membrorum elementum. sed tunc solummodo cum inspiramus, & in flatuosis affectibus. Auctoritas vero allata ex j. de elem. nihil probat; cum illa adducantur a Galeno, vt ostendat elementa quattuor prima concurrere ad constitutionem nostrorum corporum; argumento desumpto ex ijs, quae extrinsecus accedunt. quae quidem dum intro summuntur, nil aliud facere videntur, quam aliquid elementis addere, ex quibus constamus. quod euidēs signū est, ex quattuor elementis nos constare. non ex hoc tamen sequitur actu in nobis existere, vt concludebatur. Quando vero ex hoc loco concludit Galenus Hipp. pro calido, frigido, & ceteris qualitatibus primis, intelligere substantias elementorum ipsorum, verum est. tum etiam verum est ex interitu hominis, & consequenter omnium rerum naturalium elementa haec, scilicet, corpora ipsa ad mundi elementa secedere. sed non debet intelligi, illico, & statim post interitum, elementa ipsa veluti ex vase fluentia segregari ex partibus mixti, & mundi elementa communia petere; quoniam istud haud quaquam verum est. quin etiā hoc pacto argueret ea actu esse in corporibus. Verum ita res se se habet, per corruptionem enim partium mixtorum, generantur ibidem elementa in eis virtute permanentia, quod non fit, nisi aliquo temporis interuallo; hacq. ratione genita, & ad actum redacta, mundi postmodum elementis permisceri dicuntur. Sicq. pariter ve-

rum asserit Galenus corpora, & substantias elementorũ ad suam reuerti naturam. quare cum ad hoc, vt ad actũ reducantur, opus sit partium corporis corruptione, & interitu, manifestum elicitur, ea non fuisse prius actu in corporibus ipsis. & hoc modo omnis tollitur ambiguitas. & quam maxime verum remanet non actu, sed potentia reperiri elementa in corporibus ex ijsdem ortis. qua de re, qui exactiorem cuperent doctrinam, ad eos, qui hanc, ex vtraq. parte adductis rationibus, disceptationem tractarunt, accedere poterunt.

XV.

Huiusmodi etiam est, & animalium, & ceterorum natura.

COMMENTARIVS.

Vt id quod dixerat superiori oratione Hipp. de hominis corpore intereunte, probaret nunc veritatem obtinere, vtitur probatioue illa, ac pene eisdem verbis, quibus etiam supra vsus est: cum ex modo ortus argumentaretur, ad demonstrandum hominem non esse vnum. vnam, .s. & eandem esse hominis, & animalium, ceterorumq. generationi, & corruptioni obnoxiorum corporũ naturã. Quare si verum est fateri, omnibus alijs rebus intereuntibus calidum, frigidum, & cetera elementa secedere ad communia mundi elementa, pariter & uerum erit idem affirmare de homine ipso. cuius quidẽ rei rationẽ, in superioris particulae expositione, satis, superq. attulimus. Galenus tamen in expositione sua, vbi probare assumit omnia generabilia partem capere quattuor elementorum omnium, exemplo seminis fici, videtur asserere ›› terram esse summe frigidam, verbis illis, καὶ μὴν ἡ γῆ ›› κατὰ τὸν ἑαυτῆς λόγον ἄκρως ἐστὶ ψυχρά. An quia huius fuerit sententiae terram, & non aquam primum frigidorum, nũcupandam? quemadmodum etiam crediderunt doctissimi quamplurimi viri. An potius, vt opinati sunt

nonnulli, dictio ἄκρας ita capienda est, vt significet in terra aqua permixta, ex qua ficus oritur, nihil esse, quae appareat ad sensum caliditatis? quare si vox illa transferatur egregie, vel supra modum, nullam faciet hoc in loco ambiguitatem, cur terram potius primum frigidorum ponamus, quam aquam, aduersus Arist. Verumtamen tum vt ad alia, quae magis medica sunt festinemus, tum ne iterum in sermonem de summis elementorum qualitatibus ingredientes, vbiq. cupressum, iuxta adagium, fingere velle videamur, lectores ad Conciliatorem, qui id exactissime disputauit, relegare decreuimus. 12. diff.

XVI.

Atq. omnia eodem oriuntur modo, eodemq. pereunt.

COMMENTARIVS.

Verba haec cum iam ennarratis coniungi debent, vt integra efficiatur Hipp. ratio hoc modo. Vna, & eadem est animalium, & omnium rerum natura communis, eodemq. oriuntur, & intereunt modo; ergo pariter & de homine dicendum erit. Sed ijs omnibus intereuntibus elementa eorum ad vniuersi elementa cōmiscētur, igitur & eadem ratione, quae sunt in homine, cōmiscebuntur.

XVII.

Ex his etenim omnibus, quae a nobis exposita sunt, ipsorum natura constat. atq. etiam iuxta ea, quae dicimus, in id ipsorum desinunt. Vnde igitur orta sunt, eo abeunt.

COMMENTARIVS.

Mens est Hipp. ostendere hominem multiplicem esse; nunc quia dixit superius, & quod in interitu corporis humani, elementa eius, ad mundi elementa deferuntur; & quod hoc idem omnibus rebus generabilibus, & corruptibilibus euenit, nunc omnium ipsorum veluti epilo-

gum faciens ambobus dictis communem, scribit naturã ipsorum ex istis constare. Hic per naturam, vt iam multoties diximus, communem naturam, quae ex quattuor elementis tamquam intrinsecis principijs, cõstat, intelligendũ est. cõcluditq. istud nõ tantum de homine, sed & de omnibus alijs ortui, & interitui obnoxijs corporibus, verum esse. Et in eadem elementa, dum corrumpuntur, reuerti asserit. *iuxta ea, quae dicimus* in super ennarratis verbis: scilicet, dum hoc de homine affirmaret: *Vnde*
.1. de e. 1 *igitur orta sunt, eo abeunt*. Ex elementis oriuntur, ergo & in elementa desinunt. quo pacto domus in lapides, cementa, ligna, & cetera huiusmodi, resolueretur, si eam destrui contingeret; ex quibus habuit primum sui ipsius exordium.

XIIX.

Corpus autem hominis sanguinem in se ipso continet, pituitamq. & bilem duplicem, flauam, ac atram. & haec est sua ipsius natura: atq. ob haec tum dolet, tum sanum est.

COMMENTARIVS.

Declaratum est hucusq. ab Hipp. hominem esse multiplicem, ac continere in se, sicuti, & cetera omnia generabilia, & corruptibilia, quattuor elementa. Sed quoniam hoc non sufficit medico, qui particularia, quoad fieri potest, quaerit humanae naturae elementa; & praecipue illa, ex quibus modo sanum, modo aegrum hominis corpus esse deprehenditur. Cumq. elementis ipsis quattuor primis morborum, sanitatisq. caussae improprie ascribantur, vt docuit Gal. viij. de decretis Hipp. &
4. cap. Platonis libro; humoribus autem proprijssime ideo relictis illis, ad hos transeundum erat. Quamobrem Hipp. in praesentia, quae nam sit propria, ac particularis hominis natura, inquirit. quod Galenus verbis illis anno-

tauit in methodi descriptione. In simplicibus, quae in ipso essent, considerauit essentiam, an, scilicet, essent partes humidae, vel solidae; & quam facultatem haberet vnum quodq. agendi, & patiendi ab aliquo. idest, a quibus pati, & in quae agere possint. Et quo pacto actione, aut passione morbos habeant inducere, declarat. In qua re peragenda hoc pacto progreditur Hipp. primo enim, quae sint ea, quae humanam naturam constituunt, breuiter, & sine vlla probatione describit. eaq. asserit esse quattuor humores. deinde quo modo bene affecti corpus sanum, reddant; male vero affecti, aegrum; exponit. Postremo lege, hominumq. existimatione, & rei ipsius natura, & veritate, quemadmodum promiserat; omnia, qnae de quattuor humoribus dixerat, confirmauit, ac muniuit. Viso igitur ordine, quem seruat Hipp. eiusq. intentione declarata, reliquum esset, vt ad verba exponenda deueniremus. verum priusquam hoc aggrediamur, cum humorum alij sint congeniti; alij postgeniti; alij naturales, alij vero praeter naturam; admonitos lectores hoc in loco esse volui, Hipp. nequaquam de non naturalibus, & postgenitis intellexisse, cum eos statuerit humani corporis elementa. sed de naturalibus; & de ijs, qui a primordijs generationis necessario in corpore requiruntur. qui quattuor sunt tantummodo, nec plures, nec pauciores. si medicorũ dogmata, & praecipue Hipp. insequi velimus. Sanguis, qui quartus humor dicitur, calidus, & humidus; bilis flaua; succus melancholicus & pituita insipida. praeter quos omnes alij humores; praeter naturam, & postgeniti esse dicuntur, quales sunt bilis aeruginosa, isatidea, & huiusmodi. pituita salsa, dulcis, & ceterae eiusdem ordinis. Et quamuis libro de de Genitura, humorum differentias alio pacto scripsisse visus sit Hipp. verbis illis, quae supra citauimus ad aliud propositum, quae sunt haec, εἰσὶ δὲ τέσσαρες ἰδέαι τοῦ ὑγροῦ, αἷμα, χολὴ, ὕδωρ, καὶ φλέγμα. idest, sunt autem

" quattuor humoris species, sanguis, bilis, aqua, & phle-
" gma. Nos tamen doctissimorum virorum testimonio
" adducti, locum illum corruptum iudicamus. quamobrē
" nullo erit, ijs, quae scribuntur hoc in loco ab Hipp. nocumento. *Corpus igitur hominis,* ait Hipp. *sanguinem in se ipso continet.* sanguis duo significat, vt infra videbimus, apud
27.expo. Galenum totam massam sanguineam, in qua reperiuntur quattuor humores, cum suis ichoribus; & quartum illum humorem, qui colore quidem rubeus, sapore dulcis, substantia mediocris, qualitate calidus, & humidus est, aeri proportione respondens. Quando igitur Hipp. dixit corpus nostrum habere sanguinem, loquitur de eo, qui est quartus humor: alioqui sequentia verba essent superflua. *Pituitam,* eam, scilicet, quae colore alba, sapore insipida, substantia crassa, qualitate frigida, & humida; & aquae analogia quadam conformis est. Verbum φλέγμα, quod latini retento vocabulo graeco quandoq. vertunt phlegma, & quandoq. pituitam dicunt; praeter communissimam significationem, quam habet, quando accipitur pro humore illo, qui frigidus, & humidus est: quo pacto
66.tex. sumitur hic, & alibi infinities; aliquando etiam vsurpatum fuit ab Hipp. alio, ac diuersissimo pacto: vt est videre ij. progn. Vbi eo vtitur pro flamido calore: vt inter-
" pretatur Gal. exponēs verba illa, quae sic se habent. Ab-
" scessus consistunt, hi quidem inferius, quibus circa ilia
" φλέγμα fatigat. Vbi Gal. haec habet. Non enim pitui-
" tosum humorem existimari conuenit nunc intelligi ab eo
" per dictionem, in qua ait, Quibus circa ilia phlegma fa-
" tigat. Nam multo melius est intelligere de calore prae-
" ter naturam flamido proditum esse phlegma. Alio etiam modo ab omnibus medicis alienissimo vsum fuisse Prodicum in libro de natura hominis hac voce, testatur Gal.
6.cap. 9.cap. viij. de dec. Hipp. & Plat. lib. & ij. de nat. facult. volumine.
" qui quidquid vstum, & veluti supra modum in succis co-
" ctum erat, φλέγμα vocabat. Pituitam vero βλένναν, idest,

mucum appellabat. *Ac duplicem bilem, flauam*, quae sapore amara, substantia subtilissima, qualitate calida, & sicca, vti est ignis, esse dicitur. *Ac* μέλαιναν) quam vocem Macchellum, & Andernacum secutus, potius dixerim nigram, quã cum Trincauelio, & Brentio atram. vt Hipp. 3.cap.
qualem nobis descripsit Gal. lib. de comate, & quamplurimis alijs in locis, seruemus. s. proprietatis vocabulorũ maxime sectatorem. atram enim bilem praeter naturã esse, nemo est qui nesciat. loquimur autem nunc de humoribus naturalibus. Bilis nigra igitur sapore acida, colore nigra, substantia spissa, qualitate frigida, & sicca. a terra paullulum recedens. *Et haec erit ipsius* homnis *natura*, idest, principia naturam eius particularem, ac cum sanguineis tantummodo communem constituentia. *Atq; ob haec tum dolet, tum sanum est*. per vocẽ, dolet, notat Gal. 4,cap.
viij. de decr. Hipp. & Plat. lib. per excellentiam magni morbi de omnibus praeter naturam; nomine vero, & sanum est, de oppositis ad praeter naturam omnia intellexisse Hipp. Humores igitur ennarrati nostri corporis natura esse dicuntur, quia cum triplex sit animalium corporum compositio, nulla earum ex humoribus non dependet. prima secundum Gal. lib. de differ. morborum, 3.cap.
est partium illarum, quae similares dicuntur. secunda instrumentalium. tertia vero totius corporis. Quare cum formatio vniuersi corporis ex optimo ordine, ac dispositione partium instrumentalium resultet, cumq. instrumentales partes ex similaribus ortum ducant; hae vero ex quattuor humoribus; nemini non manifestum euadit, merito quattuor humores vocandos esse humanae fabricae elementa. Haecq. dicta sint medice, ad mẽtem Hipp. & Gal. Non enim me praeterit Arist. alio modo. ij. de part. animalium. & Auerr. vj. phys. triplicem 1.cap.
corporum constitutionem fecisse. sed de philosophis 59.expo.
alias. Neq. illud mirum cuipiam videatur, quaeso; si partes omnes similares ex sanguine tantum composue-

rim. cum tamen ex Galeni decretis ex ſemine conſtent nerui, arteriae, venae, oſſa, & quamplurimae aliae partes. Haec enim haud quaquam ignoro. ſed facilioris explicationis cauſſa, Galenum ipſum imitati ſumus; qui & ipſe tum in hac expoſitione, tum alijs in locis, pro vt propoſito ſuo conducere videbatur, omnes partes ex ſanguine, nulla habita ratione de ſemine, cōſtitutas dixit. de qua re, eo in loco aliquid dicemus. Neq. hic expectent lectores, nos, aut Ariſt. cum Hipp. & Gal. concordē oſtēſuros eſſe; cum ille omnia ſanguini tribuerit; nihilq. fieri ex ſemine voluerit. hi vero & ſanguine, & ſemine pro generatione vſi ſint. aut pro Hipp. & Gal. ſtantes in Peripateticos, eorum argumentationes, nullius prorſus ponderis aduerſus medicorum ſententias, demonſtraturos. Primum quidem minime faciemus, quoniam quos ex animo diſſentire volunt, conciliare nec ſcio, nec tam facile factu credo. neq. enim omnia ſemper ſcriptorum dicta in vnam conſpirare ſententiam credendum eſt. pollicitiq. ſumus nos, vbi opus fuerit, & quantum noſtra valebit ingenij vis, auctores alios cum Hipp. conciliatos reddere. idq. ſemper peragere ſtudebimus, vbi res ita fieri poterit, ne monſtra in oratione noſtra oriantur. ſecundum vero conſulto praetermittimus, cum diſceptatio haec, tot, ac tāta ſupponat ab Ariſt. vere dicta fuiſſe, vt Gal. libris integris ea reprobare, opus fuerit. qualia, ſunt marem tantum praeditum eſſe ſemine, ſemenq. formam ſolummodo impertiri in generatione; foeminam pariter carere ſemine, nullamq. partem ex ſemine fieri poſſe. quae quidem omnia, ſi quis a nobis hoc in loco tractari expeteret, ſciat ſe longe diuerſa, ab expoſitoris officio requirere. cum omnino neceſſarium eſſet, diſputationes omnes de ijs, quae diximus apud Ariſt. principijs, adducere. Quid dicemus ad Auerroē? qui ij. colliget lib. vt oſtenderet ſolo ſanguine hominis corpus conformari, ad ſenſata, vt bonus medicus, deueniens, negauit

1. cap.

gauit

gauit in vtero ceteros humores, dum prima fit conformatio. Quid ad obratiocinationem illam, ne dicam ratiocinationem, qua credidit ostendisse nullis alijs humoribus nutriri animal, excepto sanguine, cum quidquid nutrire habeat, aut sanguinem esse, aut in sanguinem prius conuerti debere, prorsus tradidit. Et hoc ad pituitam respiciens dixit. quod minime bili flauae, atraeq. accidere potest. Primum Auerrois obiectum falsissimo nititur experimento. & praeter cetera, quae inde sequuntur absurda; visus est mihi omnino Auerr. ignorasse modum, quo conformari embrio, traditur ab omnibus: ad quod quidem opus peragendum, necessario requiritur etiam sanguis menstruus, vt non solum a medicis, verum etiã ab Arist. j. de gener. animal. conceditur. sed sanguis menstruus, o Auerroe, est ne syncerior, ac purior eo, qui in venis, & iecinore reperitur? minime quidẽ dixit Arist. loco citato. immo est sanguis excrementitius, in quo & ceteri tres humores reperiuntur, & etiam multae adhuc superfluitates. Secundo Auerr. argumento obuiam hoc pacto iri posse arbitror. Ad hoc vt vtramq. bilem nullũ afferre nutrimentum humano corpori probet, falsum assumit suppositum; ex quo id postmodum deducit. quod est, omne quod sanguis non sit, nutritioni inaeptum esse. quare cum istud a medicis non esse verum deprehensum sit, cum semen etsi in sanguinem non vertatur, nutrire habeat, & possit; quod Auerr. vt medicus, velit nolit, concedere habet: ergo falsum est, quod sequitur; biles, scilicet, vtrasq. quia in sanguinem conuerti non possint, nutritioni omnino inaeptissimas esse. & tanto absurdius quanto, partes quaedam sunt, quae ceteris sublatis succis, minime ex solo sanguine nutrirentur. Quod quidem inconueniens Auerroi euenisse, ob eam rationem crediderim: quoniam hoc in libro medicum agens, nihilominus tamen Peripateticorum sententijs, vbiq. insistere voluerit. queadmodum hac in re compertum esse poterit.

Margin notes: 28. expo. (beside line 3); 19. cap. (beside line 14); qto. 2 (beside line 28)

cum enim omnes corporis partes ex solo sanguine prius formasset, ex solo etiam sanguine easdem nutriri necessario illi fatendum erat. ingerit se se hoc in loco adhuc talis dubitatiuncula. Partium similarium, iuxta Hipp. Galeniq. doctrinam, alias esse sanguineas, alias spermaticas ab omnibus receptum est. sed illa sunt corporis humani propinqua elementa nuncupanda, ex quibus partes similares componuntur. si vera sunt, quae supra tradidimus. igitur semen inter elementa nostrae compositionis connumerandum videtur. quod tamen non fecit Hipp. cum de illo, in toto hoc libro, ne verbum quidem fecerit. Semen nil aliud est Galeno, quam sanguis, qui formam illā, & generandi facultatem in testibus adeptus est. quamob rem non est diuersa res a connumeratis humanae naturae elementis. Quod si adhuc instabis, quod propinqua principia inuestigantur hoc in libro; & quod hanc ob caussam seminis, vt propinquioris caussae in partibus seminalibus, quam sanguinis, mentio fieri debebat. Respondebo, ad hoc, vt aliquid elementum alicuius alterius rei dici debeat; necesse est non tantum subijciatur tamquam materia, verum etiam ex eius absentia tollatur res illa: quē admodum probat Hipp. infra de humoribus ipsis. quamobrem cum semine ablato, vt fieri contigit in senibus, non perdatur corpus, non est affirmandum illud inter humores, pacto illo, quo accipiuntur in hoc libro, connumerari debere. Insuper non fuit primario semen animalibus datum, ad hoc vt ex eo fierent partes aliquae; sed ad hoc, vt generare possent. Verumtamen ea est naturae solertia, vt scribit Gal. vj. de vsu partium corporis huma
3. cap. ni, vt eo, quod propter aliud quiddam institutum fuerit, ad aliud etiam abutatur. Adhuc & verius philosophice, mediceq. magis possumus dicere, si semē inter elementa animalium sanguine praeditorum, connumerandum esset, necessario illud etiam requireretur, vt in omnibus reperiretur, dum eorum fieret generatio. cum id quod per

se tale est, id semper esse necessarium sit. Verum hoc non ita se habere reperitur, cum Anguilla, vt dicit Arist. vj. de hist. animal. inter omnia animalia sanguinea, sola neq. ex semine, neq. ex ouo generetur, sed ex putri fiat materia: ergo falsum esset istud asserere de semine. Quod dicit Galenus in expositione, omnes partes fieri ex sanguine, ne credas id dixisse, quasi qui hereseos suae palinodiam his verbis cecinerit. cum multis alijs in locis, quāplurimas, vt supra diximus, ex semine ortum ducere, affirmauerit. Sed vel id intelligas de sanguineis tantum: vel potius accipe ea, tamquam prolata nullo habito respectu ad materiam propinquam, vel remotam. omnes igitur partes fiunt ex sanguine hoc pacto; quia vel mediate, vel immediate omnes a sanguine exordium suum habuere. Quo pacto etiam defēdi possit Galeni sententia haec, quod omnes partes sanguine sint constitutae, videre licet apud doctissimum Iulium Alexandrinum, qui hac de re, suo Enantiomaton Gal. lib. particularem fecit tractationem.

16. cap.

Enant. 5.

XIX.

Sanum igitur in primis est, cum haec mediocriter tum uiribus, tum multitudine, mutuo inter se habuerint; praesertim si commixta fuerint.

COMMENTARIVS.

Ex humoribus superiori contextu humanum corpus tum dolere, tum sanum degere dixerat Hipp. nunc quo modo vtrumq. eueniat, explicare intendit. Et primo quo modo efficiatur sanum, hoc textu declarat. In quo vertendo pleriq. interpretes male se gesisse videntur; cum verba illa τῆς πρὸς ἄλληλα κρήσιος, quae hanc habent energiam, inter se se temperamenti, vel quo ad temperamentum inter se se, videantur praetermisisse. Quae si

quis considerare voluerit, nullo pacto silentio inuoluenda erant. siquidem supra dixit, minime res oriri ex suis
24, tex. posse principijs, nisi bene inter se, quo ad temperamentum, illa se se habuerint. quid autem praeseferat, & quo pacto intelligi debeat istud, interse se attemperari, declarauit Hipp. de hominis principijs loquens, in hoc textu. vbi quo ad facultatem, & copiam humores requirit attemperatos; & maxime commixtos. Quamobrem si verum fateri licet, nec Trincauelij, nec multorum aliorum hoc in loco mihi plane satisfaciunt versiones. At Brentius licet concise admodum verterit, hunc tamen locum satis apte transtulisse visus est mihi. ait enim. Valet qui-
" dem praecipue, cum & inter se vim, & copiam, mediocri
" ter temperatas, maximeq. permixtas habuerint. A quo nec plane dissentit Germanus Interpres, qui hoc pacto
" latina verba Hipp. fecit: sanus equidem maxime est vbi
" temparamentum haec interse habuerint moderatum tū
" facultate, tum copia, & vbi maxime fuerint permixta. adeo vt sensus huiusmodi resultet. Humores cum mediocriter, mutuoq. temperati penes facultatem, & quantitatem se se habuerint, & maxime, si optime mixti, & confusi fuerint, fieri nequaquam potest, vt sanitatem non efficiant. Quid autem ac quotuplex sit sanitas, alio in loco requirant studiosi. In humoribus igitur tria contēplatione digna sunt; facultas, quae caussa quaedam ef-
1. cap. fectrix est, vt 1. de simpl. medic. facult. dicitur a Galeno; quaeq. ex primis qualitatibus prouenit; quantitas, seu multitudo; & optima commixtio omnium inter se se. quorum vnum quodq. cum modum vel excesserit, vel ab eo defecerit, idq. notabiliter, & non sine manifesta actionum laesione, illico morbos introducitur. Cum igitur nullus eorum vel virtute, vel quantitate, limites sibi a natura constitutos pertransierit, sanitatem omnino fieri, necesse est. idq. maxime eueniet, si optime, & adamussim mixti, ac toti per totos, confusi fuerint. Vt res cla-

rior euadat, liceat nobis vti hoc exemplo. In corpore Sortis sint naturaliter quo ad quãtitatem duae heminae atticae bilis flauae, quae, quantum ad facultatem, calida, & sicca sit, exempli gratia, vt tres. & haec insimul cum alijs humoribus, sub debito modo, ac conuenientibus gradibus existentibus, optime, & vndequaq. commisceatur, attemperetur q., profecto valebit corpus eius. Detur modo casu aliquo, vt puta, calidorũ cibariorũ assumptione immodica, hunc humorẽ augeri vsq. ad tres heminas; & quo ad facultatẽ vsq. ad quartũ deueisse gradũ; ex locoq. proprio egressam os ventriculi occupare, necessario aegrotabit Sortes; facillimeq. in febrem tertianam incidet. male etiam se habebit, si vel quãtitate solũ nimis increscat, vel in facultate tantũ perniciẽ acceperit; aut ex naturali loco in alium praeter naturam fluxum, impetumq. habuerit. quemadmodum cum in locis determinatis, naturali praedita facultate, & in debita mensura aderat, bene se se habebat. Posset quis hoc in loco quaerere, cur sicuti dixit Hipp. copiam, & facultatem humorum mutuo inter se se mediocriter habere, temperariq. debere, ad hoc vt sanitas efficiatur, ita etiam non pronuntiauit de mixtione? sed hoc pacto locutus est; & maxime si commixta fuerint. Ad hoc dicerem mixtione humorum in corporibus nequaquam mediocri opus esse. quia hoc pacto culpabilis esset. Sed eam potius exactissimam, & ad vnguem, vt dici solet, requiri dicere debemus. quam rem considerans diuinus Hipp. ne quis eum damnare posset, de mixtione loqui noluit eo pacto, quo de copia, & facultate fecerat. Sed verbis, quibus nobis insinuaret, eam exactissimam necessario debere esse. sine qua, quo pacto fieri posset, quaeso, vt ex praescripto eius, lib. de alimento, vere possemus pronuntiare, corporum confluxionem, ac conspirationem vnam esse. Sed aduersus haec, quae dicta sunt, poterit quis hoc pacto instare. Sicuti triplex est corporis nostri compositio, vt supra di-

ximus, ad mentem Galeni, ita & triplex est sanitas; quae optimas illas constitutiones, & compositiones sequitur. Vna, quam εὐκρασίαν, & συμμετρίαν elementorum, ex quibus constant partes similares, appellant. Alia est, quae in numero, figura, magnitudine, ac compositione partiũ instrumentalium consistit. tertia erit, quarumlibet partium vnitas. His sic se habentibus, quam facillime fieri poterit, aliquam corporis partem, siue sit similaris, siue instrumentalis, solutionem continui pati, quae morbus est; pariter & in partibus instrumentarijs, vel numerum, vel figuram, aut magnitudinem, compositionem ue vitiosam reddi, & hoc pacto corpus sanum non esse; se bene tamen habentibus humoribus, quo ad virtutem, quantitatem, & commixtionem. ergo non ob haec tantum sanum corpus efficitur; vt videtur affirmare Hipp. Vt haec tollatur dubitatio, illud absq. contradictione accipere debemus, quod sicuti non semper sanitas ascribitur rebus externis, ita pariter & morbi non est semper caussa procatarctica, vt dicunt graeci, inquirenda. sed tam sanitatis, quam aegritudinis intrinsecum principium inuestigandum est medicis ipsis. vt pote quod illis postmodum medendi indicationes in curandis aegris; in sanis vero optime conseruandi, praeseruandiq. potissimum subministraturum est. quod omnino humoribus acceptũ referre debemus. idq. hoc in loco Hipp. innuere voluit. quam ob caussam quotiescunq. fit solutio continui in aliqua parte corporis; vel instrumentariarum partium morbus aliquis insurgit ex interna caussa, quamuis in toto non adsit intemperies vniuersalis in humoribus, & partibus similaribus, debet nihilominus istud humoribus ascribi. quia praeter illos, non est inuenire in corpore humano aliquid aliud, quod hoc efficere possit. & hoc pacto triplicis morbi, pariter & triplicis sanitatis interna caussa humoribus adscribenda erit. Verum est quandoq. morbos quosdam casu, nulla interueniente interna caussa,

euenire posse; vt exempli gratia, venam, vel manum alicui deficere, quia ei amputatae fuerint. sed istud est per accidens. Neq. propter hoc tenetur medicus caussas huiusmodi fortuitas, tamquam si semper vere essent, ponere; vbi de caussis morborum agere velit. sed eam assignare debet, quae sit magis sempiternae veritatis. quare cum praeter humores non detur eam inuenire, humoribus istud tribuere minime ex natura rei repugnat. Vidimus igitur quonam pacto humores omnium sanitatis generum sint caussa, textumq. absoluimus; si illud tantũmodo addiderimus; Macchellum, scilicet, ita textum
hunc vertisse. Sanus igitur maxime degit, cum haec me- »
diocriter se habent penes mutuum, facultatemq., co- »
piamq., atq. si sint mixta. Adeo vt secundum hanc ver- »
sionem quattuor requirantur sane in humoribus, ad optimam perficiendam sanitatem. quorum primum est mutuum: per hoc autem, quid intelligendum sit, nescio; tum facultas, copia, & mixtio. verba autem illa τῆς πρὸς ἄλληλα κρήσιος, nullis vocibus latine expressit. & praeter id, quod huic versioni aduersatur sententia Hipp. alio modo se se habens, suis postmodum manibus, ac suo gladio (vt aiunt) se ipsum iugulauit. qui dum verteret expositionem Galeni verba illa τῆς τε δυνάμεως καὶ τοῦ πλή- »
θεως, sic transtulit. penes mutuam facultatem, copiamq. »
cum facere debuisset, vt sibi ipsi constaret, verbum verbo reddens, penes mutuum, facultatemq. copiamq.
Reliquum modo est, vt nonnulla dicamus quo ad expositionem Galeni, vt quae angustioribus verbis dicta sunt, quo quo pacto ampliora reddantur. Cum ergo duplex fuerit secta eorum, qui generationem nostram elementis tribuerunt, quarum altera eorum appositione, & connexione corporum vtebatur, vt de Empedocle dicitur j. de
elem. Altera, quae ea simul temperari dicebat, cuius dux 9. cap.
extitit Hipp. docet Galenus, quonam pacto iuxta vtrãq. opinionem extendatur, & verum sit dictum Hipp. in hoc

textu, quod, scilicet, in quadam moderatione consistat sanitas. vt exinde maiorem ei fidem, & auctoritatem cōparare possit. & ait, quod secundum primos haec moderatio cōsistebat in tenuibus meatibus, in eorundem. s. ampliatione, & coangustatione moderata; vt capere possumus ex Gal. lib. de diff. morb. Iuxta vero secundos, nos potimur sanitate optima ex moderata temperie elementorum, eo pacto, quo iam diximus.

4. cap.

XX.

Dolet autem, cum horum quippiam aut minus, aut amplius fuerit; uel ab alijs seorsum cōstiterit, nec omnibus sit attemperatum.

COMMENTARIVS.

Superius, quo modo se se bene habeat corpus hominis, declarauit; nunc quo modo male afficiatur, exponit. *Dolet igitur corpus, cum horum* hu morum, *quippiam aut minus, aut amplius fuerit*. quod idē est ac si dixisset. vel defecerit, vel excesserit, quo ad facultatem, aut copiam, vt dicit Gal. cum in ijs duabus rebus opus sit τῆς πρὸς ἀλλήλα κράσεως, idest, mutuo inter se se temperamēto. *Vel ab alijs seorsum constiterit, nec omnibus sit contemperatum.* Istud contraponitur ad illud, praesertim si commixta fuerint. cur autem posteriora adiunxerit verba, cum priora & satis clara, & eandem habeant cum ijs sententiam, iudicio meo, doctissimam attulerunt, grauissimi viri rationem. ea nempe Hipp. adiunxisse, vt duplicem malae mixtiōnis modum connotaret. quorum alter est, cum omnino sunt separati, alter cum, non bene sunt permixti; nam ex ambobus morbi oriri possunt. Quoniam igitur in integra sanitate facultas, & copia mediocriter quoad temperamentum se se habere debent, & optime esse commixta, exinde manifestum relinquitur, quod quotiescunq; aliquid horum vel excesserit, vel defecerit, vel locum mutauerit, morbum illico efficiet. Et quo modo sublatis parietibus

rietibus, vel tecto, domus non est amplius perfecta domus, ita conditionum harum aliqua deficiente, non solum sanitas culpabilis redditur, immo morbus introducitur.

XXI.

Necesse est, ubi horum quidquam per se, & ab alijs excretum extiterit, non modo locum, unde exierit, morbosum reddi: uerum et, eum ubi steterit, influxeritq. & impactum fuerit, dolore tentari, laboreque.

COMMENTARIVS.

Hac & duabus sequentibus particulis, quia dixerat superius Hipp. corpus morbidum reddi, cum inter cetera humores ad alium locum sibi non naturalem transmittuntur, nil aliud intendit, quam declarare modum, quo humor secretus ex proprio loco dolorem inferat, ac quotuplex noxa ex hac secretione prouenire soleat. Qua in re notandum; alias esse humorum transmissiones a natura institutas, & alias praeter naturam aliqua de caussa factas: quod exemplo hoc facillime monstrabitur. Bilis flauae proprius locus, ac naturalis est vesica illa, quae iecinoris simis partibus adhaeret. quã κύστιν χοληδόχον vocant. idest, vesicam bilis susceptricem. ex qua quandoq. naturaliter egreditur, quandoq. praeter naturam. Naturaliter demandatur per folliculum quoddam ad ἔκφυσιν, seu ad duodenum intestinum; vt admixta fecibus veluti naturae stimulus acredine sua fit, ad eam irritandam, vt eas expellat. Feces enim cum suapte natura sint siccae, ac terrestres, nullaq. virtute praeditae naturam irritante, non ita facile, nec ita saepe expellerentur. vt iiij. & v. de vsu partium, corporis humani dicitur a Gal. Transmissio haec cum sit naturalis, nullam praesefert noxam: nisi in tãta copia humor redundauerit, & adeo saeua

qualitate praeditus fuerit, vt exulcerationes, tormina & cetera huiusmodi facere possit. Altera est huius humoris in alium locum semper praeter naturam fluxio. quemadmodum contigit ijs, qui praediti sunt ex peculiari quadam constitutione corporis, meatu illo, qui supra pilorum in ventriculum inseritur. qui interim adesse vj. de
11.cap. anoth. administ. scribitur a Gal. Ex quo cum semper affluat praeter naturam maxima copia bilis in ventriculū, vitam infelicem viuere dicuntur. Quando igitur dixit Hipp. *Vbi horum quippiam per se steterit, non modo locum unde exierit morbosum reddi, sed etiam eum ubi steterit*. hoc non est intelligendum de his fluxionibus, quae a natura institutae fuerunt. sed de ijs, quae praeter naturam, vel ex peculiari structura alicuius vasculi, vt nuper dicebamus, vel casu aliquo fieri contingerint. Locum vnde exiet humor, morbosum reddi, necessarium est; siquidem antequam exiret, optime se se habebat. *Morbosum*, idest, distemperatum, praeter naturae modum constitutum. *Verum & eum, ubi steterit*, si optima praeditus erat sanitate locus hic, prius quam aduentaret iste humor, quid mirum si morbosus, & dolorosus efficitur eo illhuc defluxo? Duabus vsus est Hipp. vocibus, *dolore*, scilicet, & *labore*. quae graece ita scribuntur, ὀδύνην, & πόνον. quae etsi quandoq. vsurpari consueuerint pro vna, & eadem re, nempe pro dolore; nihilominus tamen hoc in loco duo significare existimarem; ὀδύνην quidem, id, quod proprie dolorem nuncupamus; qui ex soluta fit continuitate. πόνον vero laborem. quae vox quandoq. significat acces-
7.expo. siones in febribus; aliquando casus, & sympthomata, vt docuit Gal. j. aphor. quandoq. etiā laesionem, vt ij. aphor.
1.expo. dicitur. Locus igitur in quo infarctus fuerit humor ex alio loco demandatus, praeter dolorem, quem patietur ex solutione continui, labore etiam molestabitur. vel intelligas modo pro labore accessiones, & exacerbationes eorundem dolorum; vel casus aliquos, vt partem in tu-

morem atolli, vel rubedinem acquirere; vel laesionem membri, in quo haec erunt, adeo vt vsus, & functiones suas praestare non possit; nihil refert. quomodocunq. vero dictũ fuerit, optime pronuntiatũ crediderim.

Galenus in expositione hac, videtur duas esse doloris caussas, asserere; solutionem, scilicet, continui, & intemperiem. Cumq. ad eiusdem mentem teneamus, vnam tantum esse (loquor autem de prima, & immediata) scilicet, solutionem continuitatis; adsintq. ex neotericis medicis, Galenum maxime sectantibus, qui intemperiem etiam per se, absq. soluta continuitate idem efficere posse, ad mentem Galeni affirmauerint; nostras esse partes duximus, tum vt hunc locum conformem alijs Gal. dictis ostendamus, tum vt veritatem sectari velle videamur, vt eorum rationibus adductis, breuius quoad fieri poterit, eis respondeamus. Qui duas ponunt doloris caussas, solutionem nempe continui, & intemperiem; vel illud affirmant hoc pacto, quod ambae adesse simul debeant: quo pacto interpretatus est Auicenna Galenum, vel vt vnaquaeq. per se, ac separatim id efficere possit. Vt Altimarus in suo de humani corporis morbis curandis libro, tenet. Qua stante distinctione, sciant lectores me non disputaturum aduersus Auicennam hoc in loco. Sed tantummodo verba facturum in illos, qui secundo modo locuti sunt. Hi igitur praeter infinitas auctoritates Galeni, quas adducunt ad suam opinionem comprobandam, hanc etiam inter illas connumerassent, si vt se oculatissimos profitentur, ita vigilantissimi extitissent. sed ijs vltimo loco respondebimus. Nunc autem hac potissimũ ratione vtuntur. Sicuti experimur partes, quae propriã seruant temperiem, si laeuiter, aut aequaliter alteratae fuerint, non dolent, ergo quotiescunq. inaequaliter, & violenter intemperatae reddentur, statim dolore efficientur. quod confirmant auctoritate Gal. j. de caussis sympth. vbi vehementes euenire in tactu, a naturali habitu

10.ca. ; 6.cap.

transmutationes, ob violentũ calidi, & frigidi occursum, affirmauit. Sufficiet igitur, aiunt isti, quod intemperies sit inaequalis, & violenta, ad hoc vt dolorem faciat. non igitur perpetuo ad solutionem continui recurrendũ erit. Qui hoc modo argumentantur, & vulnus inferunt, & medicamen vno, & eodem tempore praebent. Nam Galenũ citantes, & in suam sententiam trahentes, nobis respondendi modum, veluti digito, ostendunt. Galenus enim eo in loco se ipsum citat, ac lectores ad libros de simpliciũ medic. facult. relegat. Quemadmodum & in omnibus fere locis, vbi verba habet de dolore ab intemperie prouenieute, facit: vt caussas sciant, quibus calidum, & frigidum violenter, & inaequaliter corpori admota, dolorem efficere possint. sed ea efficere dolorem, media solutione continui, ibi docet: frigidum quidem diuellendo, con trahendo, & condensando; calidum vero erodendo, dissoluendo, & fundendo; ergo pariter & in lib. de sympth. caussis non absq. solutione continui, eadem praestare debere, non negabit. falsa igitur est eorum imaginatio, vt caliditas, vel frigiditas immoderata, violenta, & inaequalis dolorem, absq. quod diuellat, vel dissoluat, efficere possit. Secundo idem eliciunt ex mente Galeni, qui pluribus in locis, visus est concessisse, partes aliquas dolere ex solutione continui, alias vero ex intemperie sola. inter quos magnificiunt illum, qui habetur libro de inaequali intemperie. Vbi Gal. de calida fluxione in musculis
3.cap. loquens, dicebat arterias, & venas ipsorum, praeter ceteras partes eorum, vario dolore affici: cum interius a fluxione tum excalfiunt, tum extenduntur, ac diuelluntur; exterius vero non modo excalfiunt, sed etiam praemuntur, ac degrauantur. reliquae particulae aliae comprimendo solum, vel incalescendo, aliae vtroq. genere laborant. Ex quibus quidem verbis deducunt isti, quasdam musculi partes, quod incalescant dumtaxat, absq. solutione continui, dolorem sentire. Sed quam longe

a veritate, & a mente Galeni recedant, omnibus palam fieri, ex ijs, quae dicemus, crediderim. Humores duobus modis dolorem inferre posse, copia, scilicet, absq. caliditate, vel frigiditate, vel aliqua alia qualitate excedente; & ijs qualitatibus excedentibus, quamuis non peccent in quantitate; tum pluribus in locis, tum praesertim ex hac expositione Galeni, vnicuiq. apertum esse poterit. Insuper dolore partem aliquam occupante, maximam fieri attractionem ad locum illum succorum adiacentium, nemini non est conspicuum. in qua quidem attractione, tam humores aliqua qualitate peccātes, quam qui naturaliter se se habent, maximum habent confluxū. Succi igitur hi, qui absq. vel caliditate, vel frigiditate infarcti sunt in partibus, sua multitudine diuellunt, ac dilaniant continuum. qui vero adsunt vel nimis calidi, vel nimis frigidi, qualitate excedente plus afficiunt corpus, quam copia, & multitudine sua. quia qualitas excedens, poterit coniungi, & permanere cum pauca quantitate humoris. Vbi vero aderit humoris peccantis in qualitatibus copia in aliquo membro, illud magis doliturum verisimile est; cum habeat duas caussas solutionem continui inducentes, copiam, scilicet, & malam qualitatem; quarum vnaquaeque hoc idem per se praestare potest. Quamobrem quando dixit Galenus musculi alias partes affici ex intemperie solum: illud intelligere debemus hoc pacto: idest, humores in ijs partibus, licet non habeant molestantem qualitatem aliquam, dolorem efficiunt. alias vero incalescendo) hoc est partes, aliae ex humoribus, qui non quantitate, sed qualitate calida excedente, & dissoluente dolorem inducere possunt, dolorem patiuntur. Si dixerint isti, quod caliditas absq. erosione, & dissolutione inducat dolorem, sciant non solum teneri modum ostendere; sed etiam & sensui, & Galeni rationibus contradicere. Galenus igitur nihil aliud voluit eo in loco, nisi qnod partes aliquae absq. intemperie dolent,

ex sola redundantia humorum, qui eas cōprimunt. istae vero sunt partes extremae musculorum, ad quas nō peruenit calida discrasia; aliae ex sola intemperie absq. copia immodica; & hae sunt, quae minimam potuerunt capere humorum copiam. aliae vero vtroq. genere.) idest. aliae partim ex intemperie, partim ex copia: quae sunt partes illae, ad quas proprie fiet fluxio calida. Nec dicendum est, illas tanto magis laborare, quia praeter solutionem continui, aliam habeant caussam immediatā doloris, vt isti somniant. Verum quia solutio continui fouetur, & fit tum a multitudine, tum ab intemperie in ijs partibus, & inde duplo dolore alijs, quae ex vna tantum soluuntur, dici debent. At non propterea affirmat Galenus, quod hae, quae intemperie laborant, istud patiantur, absq. solutione continui. quod ostendere deberent aduersarij, si intemperiem dolorificam esse, absq. eo quod soluat, probare vellent. Hoc pariter pacto, ad omnes alias auctoritates Galeni, vbi dolores fieri maiores duplici ratione asserit, tum propter distentionem, tū, propter intemperiem; responsum sit, hoc enim non dicit vt innuat diuersam caussam a solutione continui. sed vt indicet continuum solui in aliquibus doloribus, pluribus de caussis; quod quotiescunq; euenerit, dolorem intensiorem fieri necesse est. quod hoc exemplo clarissime patebit. Si enim diceremus corpus Socratis calidū reddi, quando se ipsum mouet Socrates, calidius vero duplici de caussa; & cum se ipsum mouet, & cum sub solem ambulat; vellemus ne propter hoc, Socratem calidiorē effici, tum ob calorem a motu introductum in corpore eius, tum propter aliquam aliam caussam diuersam a calore? minime profecto. sed maioris equidem caliditatis, duplicem caussam connotaremus; motum, scilicet & solem. Ita & in proposito nostro, duas ob caussas, intemperiem, nempe, & compressionem, vel aliquam aliā rem, dolorem augeri, & maiorem effici, non est negandū.

Sed intemperiem istud praestare, alio modo absq. solutione continui, minime fatendum est. Reliquum est, vt ad omnes illas auctoritates, in quibus ad verbum dicit Galenus duas esse doloris caussas; continui, scilicet, solutionem, & intemperiem; quae sparsim, & pluribus in locis inueniuntur, respondeamus: quibus omnibus vnicam satis facturam responsionem omnino credimus. quae etiam satis esse poterat ijs auctoritatibus, e quorum, non verbis, sed sententia hoc isti colligunt; & quas supra attulimus, & satis superq. examinauimus. Mos est Galeni, vt in ijs, quae apparent, etiam si ita se non habeant, communem opinionem, & hominum existimationem quandoq. insequatur. idq. optime, & sapientissime facit. cum medicus sit artifex sensibus innitens. Quam ob caussam cũ definiturus esset febrem, primo in vj. de mor. vulg. & alibi: & si adsit insimul cum caliditate siccitas, 19.expo. tamen relicta ea, febrem calorem tantum esse praeter naturam, affirmauit. & quia profecto euidentior est caliditas in febre, quae omnibus fere ad sensum patet; quam siccitas, quam ex mordacitate caloris periti dijudicant: ideo euidentiam insecutus, de caliditate tantum mentionem fecit. Pari modo & in omnibus ijs locis, in quibus duplicem doloris caussam constituit, est dicendum. Siquidem magis notum est hominibus, dolorem fieri, cum intemperies aliqua aliquam corporis partem inuadit; non enim omnes sciunt quo pacto calidum, & frigidum, & ceterae qualitates istud agant; quam ex quadam solutione continui intrinseca, ideo euidentiam insecutus, & non rei veritatem, istud de intemperie affirmauit. Secundum vero naturam, & secundum hominum etiam existimationem, solutionem continui, idem praestare posse, pronuntiauit. Hoc igitur in loco, si quid dixit Galenus, quod rei veritati, & suismet alijs in locis diuersum videatur auctoritatibus, illud prolatum iuxta apparentiam firmiter teneant, qui Galenum intelligere cupiunt. Haec

pauca quo ad hanc disceptationem dicta sint. de qua si omnia, quae dici possent, scribere vellemus, alium, & ampliorem locum requirerent, quam sit expositoris angustus campus. Trincauelius animaduertit in hac expositione Galeni loco illius, quod in impressis codicibus dicit, ἵσηται, in antiquis legisse, ἴσχηται. quae lectiones parum differunt inter se; neq. sensum diuersum faciunt. vel enim steterit, vel emerserit, si dixeris, eadem erit mens, & sententia Galeni.

XXII.

Nimirum ubi horum quid e corpore defluxerit, plus eo, quod supernatat, euacuatio dolorem excitat.

COMMENTARIVS.

Quod affirmauit Hippocrates de humore secreto intra corpus, nunc idem de eodem extra corpus effluxo, affirmare intendit. Vel sic connectas. Quia dixerat Hipp. superiori oratione, secretionem humorum ad internas partes, corpus aegrum maxime reddere posse; poterat quis dubitare, num quando excretio ista fiet extra corpus, eundem habeat producere effectum, an, scilicet, propter hoc corpus reddatur morbosum nec ne. Non solum respondit Hipp. quod sic; sed facta comparatione ad multitudinem, quae & ipsa, cum modum excesserit praeter naturam afficit corpus; affirmauit, plus posse in nocumento immodicam excretionem alicuius humoris extra corpus, quam sit noxa prouenients ex nimia quantitate humoris superabundantis. Vel si verbum ἐπιπολάζοντος, secundum aliam expositionem Galeni acceperis, dicere poteris, quod comparans Hipp. excretionem non exactae humorum temperationi (vt ita dicam) maius ponit nocumentum in secretione humoris ad extra corpus, quam sit illud, quod prouenit ex corrupto temperamento. Quorũ omnium facile erit rationes reddere. & primo, quod maior

maior sit noxa ex immodica euacuatione alicuius humoris, quam ea, quae ex multitudine prouenit; ex eo colligere poterimus (vt se ipsum exponat Hipp. hoc in loco uolumus) quod repletiones, nisi extremae fuerint, nō dicuntur periculosae. quemadmodum colligere possumus j.aphor. Immodica vero humoris excretio, non solum est mala, cum extrema fuerit, siquidem enim tunc mors sequitur, vt infra videbimus; sed etiam si ad dimidium extremitatis non deuenerit. Quot enim fuerunt, qui ex fluxu sanguinis, vel ex naribus, vel ex hemorrhoidibus in cachexiam, & hydropem, & in alios insanabiles morbos inciderunt? innumerabiles pene dixerim. Quot vero sunt, in quibus maxima humorum adest plenitudo, qui nihilominus tamen, operationes omnes recte perficiunt? Quod eadem sit ratio de discrasia, hinc facile patebit. multos enim cognoscimus, qui culpatissimo viuunt temperamento, & tamen non adeo ingentes noxas patiuntur, ac faciunt hi, qui vel fluxibus hepaticis, vel sanguineis, aut diareis, dysenterijs ue affliguntur. in quibus ad extra corpus fluunt diuersi humores; qui diuersis cruciatibus quotidie anguntur. Nemini igitur non est manifestum, longe maiorem corporibus noxam inferri ex effluxione humorum ad extra corpus, quam eorundem vel copia, vel intemperie. 1.aphor.

XXIII.

Rursusq. si intro euacuetur, sedemq. mutet, & ab alijs secernatur, erit necessarium ut duplicem (ut iam dictum est) dolorē inferat. & unde egressa est, & ubi redundat.

COMMENTARIVS.

Pars haec, cum superius exposita fuerit, nuncq. repetatur, nulla alia indiget annotatione. An vero quoniam omnino superflua, & iam ennarrata repetat, tamquam suspecta haberi iure possit, dubium relinquitur.

XXIV.

Dixi sane quaecunq. esse hominem dixero, demonstraturum eadem semper esse & secundum legem, & secundum naturam.

COMMENTARIVS.

Capita, quae promiserat ad ostendendum principia ab se posita, vere esse corporis nostri elementa, nunc reassumit; vt exinde illud probare possit. haec vero sunt, hominum opinio, seu lex; quam sibi ipsi fecerunt: & rei ipsius natura, veritasq. Mirum est quo modo haec verba, quae in omnibus codicibus graecis Hipp. reperiuntur, in expositionem Galeni irrepserint; quod nisi librariorum inscitiae adscribatur; qui nesciuerint distinguere Hipp. verba, a Galeni expositione, quid probabile dici possit, non habeo.

XXV.

Affirmo autem sanguinem esse & pituitam, & bilem, tum atram, tum flauam. horumq. nomina primum ex lege fuisse distincta asseuero; nulliq. ipsorũ idẽ inditum esse nomẽ. Mox uero & secundum naturam species esse diuersas; usq. adeo ut pituita minime sit sanguini similis, neq. sanguis bili, neq. bilis pituitae. Nam quo modo haec poterunt inter se mutuo esse similia, quorum neq. ex inspectis coloribus similia esse uidentur; nec etiam si manibus tractentur, ut pote quae nec similiter calida sint, nec similiter frigida, nec similiter humida, nec sicca.

COMMENTARIVS.

Duo praestare debebat Hipp. quae supra se ostensurum esse, pollicitus fuerat, & quod plura principia in corpore hominis inueniuntur; & quod illa perpetuo in omni aetate, & in omni anni tempore reperiuntur: quorum primum primo loco expedit, tamquam illud, sine quo aliud

M

minime sequi potest. quo modo enim plures humores perpetuo in corpore esse, poterimus ostendere, si illud acceptum prius non fuerit, hominem pluribus praeditum esse succis? In corpore igitur hominis quattuor esse humores mutuo differentes, primo probat ex hominum loquendi consuetudine. nemo enim vnquam mortalium sanguinem alio nomine appellauit, alicuius alterius humoris proprio. idem & de alijs dicendum. Secundo idē confirmat rationibus ex rei ipsius veritate, & natura; (quod quidem probationis genus κατὰ τὴν φύσιν, ipse nominat,) desumptis. Quas si ad quemdam certum numerum referre volumus, eas duas tantummodo constituemus. quarum vna ex diuersitate formae ipsorum humorum arguit. altera ab euentu vario in purgationibus contingenti, demonstrat. de qua paullo infra. Quattuor sunt igitur humores natura inter se distincti; quia *nomina primum lege*, idest, hominum loquendi vsu, unicuiq. *distincta* posita fuere. *Mox uero.*) nunc transit ad secundam probationem, quae sic formari poterit. Ea maxime interse differunt, quorum formae manifesto diuersae sunt. Sed huiusmodi sunt quattuor humores, ergo mutuo inter se discrepant. Eorum formas, seu species esse diuersas, probat; quia nulla inter ipsas cadit similitudo; adeo vt pituita minime sit sanguini similis, neq. sanguis bili, & sic de ceteris. Quod autem inter eos nulla inueniatur similitudo, tum ex diuersitate colorum, tum ex varietate qualitatum tangibilium, quibus alij alijs praediti sunt, manifestissime ostendit. Qua quidem in re, per qualitates tangibiles, si Hipp. inspexeris, primas tantum intelligere fateberis. Si vero Galeno attenderis, id de primis, & de ijs, quae secundae dicuntur, interpretaberis. Nam Galenus visus est exponere verba illa Hipp. quando eos dissimiles deprehendi ostendit, *si manibus tractentur*, quod dicta fuerint, propterea quia consistentia eorum, quae ad secundas pertinet qualitates, maxime sensu tactus per-

cipi possit. Cetera vero verba, quae aiunt, *nec similiter calida, nec similiter frigida. &c.* Separat, ac destinguit a superioribus. In summa igitur vult Galenus Hipp. ostendere humorum formas inter se dissimiles esse, tum quia coloribus diuersis, tum quia non eadem consistentia, tum quia qualitatibus primis, calido, scilicet, & frigido, & ceteris inter se discrepant. Quis posset hoc in loco quaerere, cum multa alia sint, in quibus differunt humores ad inuicem; nam differunt definitione; alia enim est ratio sanguinis, alia aliorum succorum; item sapore, vt supra diximus: alij enim dulces, alij amari, nonnulli alijs sapo ribus praediti sunt: discrepant etiam analogia illa, quā habent ad elementa mundi. nam vnus igni, alius aeri, tertius aquae, quartus vero terrae proportione respondet. Cur igitur Hipp. solum fecit mentionem de varietate colorum, ac primarum qualitatum diuersitate? Dixerim Hipp. hac in parte diuinissimum extitisse, quippe, qui vt medicus sensibus fidens, dissimilitudinem humorum, non aliunde petierit, quam ab ijs, quae manifestissime conspiciuntur; inter quae primas tenent, quae sensui visus, scientiarum instrumento, subijciuntur. secundas vero, quae tactu dignoscuntur. Vnde solent homines, cum aliquid se exactissime nouisse, demonstrare voluerint, illud oculis vidisse, manibusq. tetigisse, affirmare. Ceteras vero probationes, cum non adeo conspicuae essent, consulto praetermissit Hipp. Non enim sciunt omnes sanguinem similitudine quadam cum aere communicare; nec eum dulcem esse. neminem enim solum sanguinem vnquam degustasse credendum est. Vel si quis hoc de sanguine nouit: quis ceterorum humorum adeo exactissimum periculum fecit, vt huic fundamento innixus, diuersitatem inter eos ponere velit? cum aliorum aliae sint naturae, & temperaturae hominum, varios, ac diuersos humores aggregantes, ac praeter naturam efficientes. Quo ad definitionem attinet, paucissimi sunt, qui opti-

mam calleant scientiam,res inter se distinguendi per definitiones; vel definitas recte capiendi. Igitur Hipp. ne latum quidem vnguem, vt vulgo dicitur, a sensati s recedens, diuinissime, quod probare intendebat, vt medicus demonstrauit. Cum duplici modo legatur contextus huius principium, nempe hoc pacto, φημὶ δὲ, & φημὶ δὴ; Rasarius vir vnde quaq. doctissimus, vltimam secutus lectionem, vertit, Idcirco aio. quod pariter factum fuit etiam ab Andrea Brentio. & hanc tamquam meliorem interpretationē laudarunt nonnulli doctissimi viri. quoniam, quae in hoc textu ab Hipp. dicuntur, videntur fere ex ijs, quae iam exposuit, cōcludi, ac subijci. Hic quoq. pariter vocem μέλαιναν, nigram verterem, non atram, ijsdem, quas supra citaui, motus rationibus.

Illud in expositione Galeni notandum, quod dum succos crassitudine, & tenuitate; humore, ac siccitate immutari ostendit; dicit, hoc succis accidere, vt pote, qui re- »
uera non sint elementa, eo modo, quo aqua, & terra, & »
aer, & ignis sunt. Quae verba duos sensus habere pote- »
runt. vel quod dixerit hoc Galenus innuere volens, humores non esse adeo synceros, quemadmodum sunt elementa mundi. quippe cum haec dicantur corpora simplicia. illi autem crassitudine, & tenuitate, humore, & siccitate plurimam accipiant immutationem. cui expositioni fauent verba illa, quae subsequuntur. Quilibet »
enim ipsorum consistit ex ijs quattuor, alio in ipsorum »
alio superante. Vel quod hoc protulerit Galenus ad de- »
finitionem elementi respiciens. quae cum sit, quod elementum est illud, ex quo res componitur primum inexistente indiuisibili specie in aliam speciem; vt.v.methaph. 4.tex.
dicitur; minime humoribus conueniat. ex quibus primo non componitur animal: quiq. insuper in alias res diuersas specie diuidi possunt. Monstratum est enim supra, in omni humore adesse & ichorem, & partē crassam. quod etiam testatum reliquit Gal.ij.de elem.lib. quorū vtrūq. 4. cap.

aliam, atq. aliam sortitus est speciem. his duobus modis hunc Galeni locum exponi posse, nostra fert opinio. Humores autem quo modo dici possint elementa corporis
31. expo. nostri etiam ex mente philosophorum, ex Auerr. iij. coeli, colligere possumus. cum legatur ibi, elementum, inter cetera, quae significat, illud dici, quod secundum quantitatem, qualitatemq. in transmutatione secundum substantiam, partibus aliquibus, materia efficitur. quare cum quattuor humores respectu nostri corporis, huiusmodi maxime esse in hoc libro ostendantur; nemini dubium erit, eos vocari posse, & recte, elementa.

XXVI.

Cum itaq. tantum inter se tum forma, tum uiribus distent, necessarium est unum non esse. nisi ignis, & aqua unum sint.

COMMENTARIVS.

Cum tanta sit inter humores discrepantia *tum forma*, idest, sensibili figura; *tum uiribus*, idest, qualitatibus agentibus, & patientibus, concludit nullo pacto eos esse vnum tantum, nisi ignis, & aqua, inter quae tanta est cõtrarietas, vnum vocari possint: ac si dixisset. qui adeo fatuus est, vt credat humores hos esse vnum, & idem, poterit etiam admittere, nullo pacto inter aquam, & ignẽ, diuersitatẽ adinueniri.

XXVII.

Quod uero ea haud unum sint, sed suam quodcunq. eorum habeat tum facultatem, tum naturam, inde facile perdiscas; quia si homini medicamentum, quod pituitam educit, offeras, ille pituitam tibi reijciet. At si medicamentum dederis, quod bilem ciat, bilem euomet. Pari modo atram purgabis bilem, cum ei medicamentum, quod bilem atram uacuet, exhibueris. Sin autẽ

in aliqua corporis parte uulnus infligatur, ſáguis inde illi effluet. Quae omnia tibi tota die, atq. etiam nocte; hyeme, ac aestate tam diu faciet, quam diu facultatem attrahendi, ac uiciſſim reddendi ſpiritum habuerit. & quoad aliquo horum, quae cognata ſunt, priuetur. At cognata ſunt, quae diximus. Quo enim pacto cognata non ſint, cum hoc primum compertum ſit, hominem donec uixerit in ſe ipſo omnia continere; deinde ex homine genitum eſſe, cui inſunt haec omnia? Inſuper ab homine ſua habuiſſe alimenta, qui omnia ea habuerit, quae diximus, quaeq. monſtrauimus.

COMMENTARIVS.

Secundam nunc molitur Hipp. rationem ad oſtendendum quattuor eſſe ſuccos mutuo differentes inter ſe in humano corpore; quam aſſumpſit ab euntu, quod in purgationibus euenit, poſt varia exhibita pharmaca purgantia. Et quamuis dicat Galenus, quod hanc ſcripſit Hipp. rationem, vt probaret, eos adeſſe ſecundum naturam in corpore, tamen non negauit eandem, illos eſſe diuerſos oſtendere poſſe. neq. pariter nos negamus, ex illa accipi poſſe, eos eſſe ſecundum naturam. nam ſi perpetuo adeſſe demonſtrat haec ratio; pariter & monſtrabit eos eſſe ſecundum naturam: immo ex hoc, quod adſunt perpetuo, tranſit Hipp. belliſſime ad demonſtrandum eſſe connatos, congenitoſq., vt videbimus. Probat igitur Hipp. ſuccos eſſe inter ſe diuerſos ab euentu, hoc pacto. Si medicamentum dederis, quod pituitam ducere natura habeat, pituitam, & non alium humorem trahet: ſi bilis eductiuum, bilem excerni videbis; non alium. ergo diuerſa eſt bilis a pituita, & ab alijs. Pariter ex vulnere illato, ſanguis, non bilis, non alius humor fluit. igitur non eſt dicendnm, vnum, & idem eſſe ſanguinem, & alios humores, ſed natura mutuo inter ſe diſtinctos. Si quis forſan ambigeret, cur, cum probare vellet Hipp. ſanguinem diuerſum eſſe ab alijs humoribus, hoc non monſtrauit eo pa-

cto, quo idem in alijs ostendendis vsus est, scilicet, ex medicamenti sanguinem attrahentis assumptione. Is suam ipse sibi tollet ambiguitatem, si quae scripta sunt a
4. cap. Gal. lib. de purg. medic. facult. legerit. Quo in loco adinueniri quidem herbam, quae primo sanguinem ducat, asserit; sed eam inter medicamenta purgantia minime ascribi dignam iudicauit. sed potius inter letifera venena connumerandam censuit. quo modoq. haec fuerit inuenta apud Thraces Bithyniam incolentes, historiam narrat. quamobrem minime illud vsu apud medicos cõparatum est, vt ad expurgandum sanguinem, sanguinis extractione per medicamenta vtantur. Merito igitur alio est vsus modo Hipp. hoc in loco, de sanguine loquens, ac fecerit, cum de alijs humoribus verba haberet. ad quos extrahendos, benigna, minimeq. naturae inimica inueniuntur medicamenta. Subijt nunc mihi in mentem dubitatio, quae non paucam allatura sit difficultatẽ huic Hipp. loco. de qua frequenter vna locuti sumus doctissimus Cassola, & ego; quae talis est. Saepissime visum fuit in aliquo aegroto, exempli caussa, febre quotidiana laborante, in aetate iam declinante constituto, anni tempore aliquantisper frigido existente, exhibitum ei fuisse medicamentum, optimis apparentibus signis concoctionis in vrinis, pituitam educendi virtute praeditum; tamen ne tantillum quidem pituitae fuisse extractum; maximam vero copiam, aut bilis flauae, aut alterius humoris illud eduxisse. Vnde ergo prouenit hoc, cum omnia euacuationem pituitae iuuare debuissent; morbus, aetas, anni tẽpus, & humoris optima dispositio ad euacuationem? Quo pariter pacto, erit verum Hipp. dictum hoc in loco: propinato, scilicet, medicamento, aliquem particularem humorem educente, in omni aetate, in omni anni tempore, illum necessario euacuari debere? Ad primum respondet doctissimus Cassola, hoc euenire ratione similitudinis, & affinitatis inter humorem peccantem, &
corporis

corporis habitum, seu temperamentum; cum naturaliter simile appetat simile, & simili gaudeat. & hanc ob caussam aliquando contingere, vt natura retento humore, quo gaudet, ad nutriendas corporis partes, propensior efficiatur, ad dimittendum alium succum, qui tunc non adeo vsui ei sit; quiq. tempore praeterito, vel ratione constitutionis aeris, vel ingestorum, aceruatus fuerit; & tũc temporis aliquatenus forsan molestus existens. Ad secundum dicerem, cum ea, circa quae medicina versatur, non sint sempiternae veritatis, & ideo quandoq. eueniãt, quandoq. non, medicum non teneri multifacere ea, quae per accidens, & raro eueniunt: sed ad ea, quae vt plurimum fiunt, respicere; vt vniuersaliorem, quoad fieri potest, cognitionẽ tradere possit. Quare cum multo plures sint casus, quibus ex exhibitione medicamẽti proprius humor, quem extrahere intendimus, ijs, quibus alius, excrenatur; ideo non immerito Hipp. ad id, quod vt plurimum euenit respiciens: pronuntiauit; quacunq. aetate, & in omni tempore, proprio exhibito medicamento, proprium euacuari humorem. *Quae omnia tibi tota die, &c.* Haec omnia protulit Hipp. vt quattuor humores adesse secundum naturam in corpore, demonstraret. cur potius dixerit Hipp. *quam diu facultatem atrahendi, ac uicissim reddendi spiritum habuerit*; quam, donec vixerit homo, non absq. ratione quaeret quispiam. nec enim ea tantum, vt vitam circumscriberet, scripsisse credendum. quo pacto illis vsus est Virgilius de Aenea loquens.

Quem si fata virum seruant, si uescitur aura »
Aetheria; nec adhuc crudelibus occupat vmbris: »

Cum mos non sit, vt qui aliquid serio tractant, methaphoris, & circumlocutionibus vtantur. Super ijsdem verbis, verum alia ratione, dubitauit etiam Galenus. Responderunt nonnulli doctissimi, peritissimiq. viri, Hipp. actionem, quia vita maxime conseruatur, quaeq. vltima cum vita deperditur, proposuisse, vt ostenderet deinceps tam

diu actionem illam durare, quamdiu quattuor humores in se habebit. nulloq. eorum penitus priuetur. quod quidem signum euidens est, ad hominis naturam quattuor, & non vnum solum requiri eorum, quae cognata sunt. *Et quoad aliquod horum, quae cognata sunt, priuetur*; Ad euacuationem exactam alicuius humoris, cuiuscunq. fuerit generis, mortem sequi, paullo infra edocebimur ab Hipp. *Quo nam pacto cognata non sint.* Vt autem probet Hipp. humores quattuor esse in corpore nostro secundum naturã, quod idem est, quod cognatos esse, & congenitos; tribus vtitur medijs. primo ex diuturnitate ipsorum, qua in corpore manent. quousq. enim vixerit homo, quattuor humores perpetuo habebit. secundo a similitudine caussae efficientis. ex homine enim genitus est homo; in quo haec adsunt, & perpetuo insunt. effectus enim in quantũ potest, sui ipsius caussae assimilari debet. tertio a similitudine caussae fouentis, & nutrientis. siquidem donec in vtero permanet homo, ex sanguine menstruo mulieris. quae quattuor in se habet humores; augetur, ac nutritur;

Galenus in expositione dicit, opinionem eorum, qui solo sanguine nostram fieri generationem autumant, non adeo facile erui posse, sicuti sententias eorum, qui succorum aliorum vnum ponunt. Quo stante dixerim ego facile etiam esse, dogma medicorum euertere, qui eosdẽ humores, in simul cum sanguine, ad generationẽ, & nutritionem admittunt. Qua in re, si pauca quaedam dixero, nec superflua, nec a facultate aliena pertractabo.
" Cur dixerit Galenus difficulter destrui posse, solum san-
" guinem esse generatiuum, ratio poterit haberi ex eiusdẽ
1. expo. verbis (si modo liber est Gal.) j. in lib. Hipp. de hum. cõm. quo in loco sanguinem ex moderato fieri calore affirmat; alios vero succos ab immoderato, vel excedente, vel deficiente intelligas. Hoc sic se habente, poterit quis forsan optime affirmare, solo sanguine animal generari; vt pote ex illo humore, qui a caussa maxime secundum naturam

ueniat. Ex humoribus vero ceteris minime;cum a causſa praeter naturali ortum ducere videantur. Responderem nihil impedimento nobis esse, quin ceteros humores admixtos cum sanguine, concurrere ad generationem nostram, affirmare debeamus; & in corpore nostro se naturaliter habere. maxime si caussam finalem inspicere velimus. iuxta ea, quae dicta fuerunt a Gal.ij.de elem.lib. 4.cap. Cum enim in corpore nostro aliae sint partes frigidae, aliae calidae, aliae temperatae, aliae alijs qualitatibus praeditae; ideo necessarium fuit, hominem varijs, diuersisq. donari succis, ac humoribus; qui qualitatibus illis praediti essent, vt ad has partes diuersas nutriendas apti efficerentur. ad quas alendas, solus sanguis nec aptus, nec sufficiens erat. Igitur opus fuit etiam concursu ceterorũ humorum. An modo sint a calore temperato, vel ne; hoc non multum refert. quamuis & hoc negare possemus, & caussam eorum generationis, rebus, quibus alimur, tribuere. neq. propter hoc eos respuere tamquam omnino inutiles, debet medicus. Dogma igitur medicorum verum, & inculpabile existit, sermo vero eorum, qui ceteris humoribus absq. sanguine vtuntur ad generationem, nequaquam verus est. Habet item Galenus in hac expositione, communem esse non solum medicorum, sed etiam graecorum omnium sententiam, cum dixerit Hipp.bilẽ, intelligere de pallida, vel flaua. Nomen vero bilis simpliciter prolatum, intelligi debere de pallida tantũmodo, affirmauit idem Gal.v.in vj.de morb.vulg. Forsan loquitur ibi secundum mentem propriam; hic vero de modo, quo voce bilis vtitur Hipp. verba habet. 14.expo.

XXIIX.

Qui uero unum esse hominem autumant, in hanc mihi sententiam idcirco deuenisse uidentur, quod eorum, qui sumptis medicamentis, ex immodicis purgationibus periere, alios pituitam

reieciſſe uiderunt, alios bilem; unde quod quiſq. eorum in purgatione uomendo interijſſe intuitus eſt, id etiam eſſe hominem, existimauit. Nec qui ſanguinem hominem eſſe autumabant, aliunde ducti ſunt, niſi quia in iugulatis hominibus ſanguinẽ profluere cernentes, id eſſe homini animam arbitrabantur: huiuſmodi teſtimonijs, hi omnes in ſuis utuntur rationibus.

COMMENTARIVS.

Vſus eſt Hipp. ea ratione ad probandum quattuor eſſe in corpore humores, qua vtebantur antiqui medici ad aſſerendum vnum tantum ſecundum naturam inueniri; quae ab euentu in purgationibus deſumpta erat. Hinc ſumpta occaſione inuehitur in eos, oſtenditq. quo pacto decipiantur, dum ex purgationibus, euacuationibus ue, hunc, illum ue humorem, hominem eſſe affirmant. Et hoc arte quadam diuiniſſima praeſtitit Hipp. quia etſi ſupra aduerſus dogma eorum argumentatus fuerit, eius abſurditatem, alio pacto, oſtendens, non tamen rationes, quibus moti in hanc deueniebant ſententiam, diſſoluerat, confutaratq.; quod in praeſentia efficere intendit. adeo vt et hanc, & tres ſubſequentes particulas adiunxerit Hipp. fere extra inſtitutum incoeptum (probare enim intendebat, quattuor humores eſſe ſecundum naturam, & connatos) quadam veluti neceſſitate coactus. ne eorum, ſcilicet, rationes refellendi commodam occaſionem praetermittere videretur, cum de purgationibus mentionẽ feciſſet. Dicebant igitur antiqui, illum humorem hominem perficere, quem quandoq., vt vſu euenit, in immodicis euacuationibus purgari cernerent; ex qua euacuatione ſecuta eſſet mors. Quam ob cauſſam cum alius viderit hominem ex nimia purgatione bilis, de vita exceſſiſſe, ideo ſtatim bilem eſſe dixit. alter vidit aliquem extremum oppetijſſe diem ex immodica euacuatione pituitae, ideo pituitam illum conſtituere, nequaquam veritus

est affirmare. Idem dicebant alij de sanguine, cum vidissent fluxionem sanguinis ex vulnere, alia ue de caussa, mortem inducere. Verba contextus huius, in quibus nude, & sine vlla alia ratione fundamenta ponuntur antiquorum, hunc, illum ue humorem hominem esse asserentium, etsi ex se adeo clara sint, vt nulla alia indigeant expressione, ne rem nimis frustulatim tradens, praemansum in os omnibus inserere velle videar; illud tamen sicco pede, minime transeundum iudicaui. Cur, scilicet, dixerit Hipp. eos, qui sanguinem nimis euacuatum induxisse mortem viderunt, eundem animam esse, affirmasse; cum huc vsq. de anima ne verbum quidem factum fuerit. cumq. de elementis corporis humani verba habeamus, non autem de anima. quae enim animae cum humoribus communio? Insuper si de hominis natura quaereremus, quatenus anima tantum dicitur esse, quo pacto egit Plato de natura eius in Alcibiade primo; omnia, quae hoc in libro hucusq. dicta, & dicenda sunt, vana, & extra rem propositam essent. quae eo tendunt, vt elementa ex quibus componitur homo, inueniant. Si dixerimus Hipp. per animam intellexisse facultatem, ac vim, quae corpus nostrum regere, & gubernare dicitur; quaeq. vna, & eadem est res cum calido innato, tūc dicere poterimus, pro anima naturam ipsam expressisse. Cum nil aliud sit anima apud ipsum vna cum Galeno, quam natura, & temperatura corporis. idem vero esse animam cum calido innato, scriptum reliquit Gal. lib. de tremore, rigore, palpitatione, & conuulsione. innatum vero calidum nihil differre a natura, idemq. prorsus esse, tum eo in loco; tum & j. & iiij. aphor. testatus est. quid autem est aliud natura quā temperatura ipsa? cum dicat Gal. ij. de nat. hum. & j. de vsu partium cor. hum. vniuscuiusq. corporis naturam non aliunde oriri, quam ex eorundem proprio temperamento? quamobrem cum dicebant illi, sanguinem esse hominis animam, dicebant etiam iuxta medicorum

6. cap.
15. aphor.
37. aphor.
1. expo.
9. cap.

dogmata, & iuxta eiusdem Hipp. sententiam, naturam eius ex sanguine constare. & hoc pacto nihil interserit Hipp. hoc in loco, quod optime rei vndequaq. non conducat, etsi animae meminerit. Sed & alius vltro se se offert hoc in loco scrupulus. Nam supra Galenus, affirmauit probabile quidem esse, aliquos fuisse medicos, qui dixerint hominem esse vel sanguinem, vel bilem, vel pituitam. qui nam vero fuerint ostendere nescit. vel quia dogmata eorum verbis tantummodo tradita fuerunt, vt ex verbis Hipp. colligi potest. vel quia eorum scripta perierunt. Sed ex ijs, quae dixit Hipp. hoc in loco, poterit quis suspicari, facile esse aliquos eorum deprehendere. nam dum dixit, quosdam fuisse, qui sanguinem animam esse dixerint, Critiam innuere videtur; cui tribuit Arist. hanc eandem opinionem j. de anima. non est igitur affirmandum omnium nomina deperdita fuisse, cum adhuc Critiae memoria sit superstes. Ad hoc dicerem aliud esse loqui de anima, quo pacto loquuntur philosophi, aliud de principijs intrinsecis hominem componentibus. Critias quidem de illa, & philosophice magis, quam medice locutus est. quare non incongruum est Gal. eius, vbi de intrinsecis hominem componentibus elemẽtis loqueretur, non meminisse. Aliorum vero, qui de sanguine, & de ceteris humoribus, in assignandis humanae naturae principijs medice locuti sunt, nomina deperdita fuisse, minime absonum, & a veritate alienum erit. de quibus Gal. intellexisse dicere possumus, non autem de ijs, qui de anima verba fecerunt. Vereor etiam ne Critias post Hipp. tempora, paullo aut ante Platonem, aut eodem tempore floruerit. quod si ita esset, recte dixisset Galenus, nomina eorum, quos innuit Hipp. ex hominum memoria excessisse. cũ nullius alterius aut medici, aut philosophi Hipp. antiquioris, ad nos deuenerit (quod sciam) opinio huiusmodi de hominis natura.

Marginal notes: 1. expo. (beside "fert hoc in loco scrupulus"); 2. tex. (beside "verbis Hipp. colligi potest"); 32. tex. (beside "eandem opinionem j. de anima")

XXIX.

At qui primum quidem nullus unquam ex immoderatis purgationibus mortuus est, cui sola fuerit bilis expurgata. immò epoto medicamento, cui facultas sit bilem ciendi, primum bilem uomitu eijciunt, mox pituitam, deinde ab ipsa bile, atram etiam bilem euomunt uĩ coacti, postremo uero sanguinẽ purũ reiectant.

COMMENTARIVS.

Declarato antiquorum fundamento, quo humanam naturam vnico constare humore moti asserebant, credentes particularis alicuius humoris sola purgatione hominem interimi: nunc vult ostendere Hipp. in quo fallantur homines isti; ac quantum ex hoc decepti sint argumento, hominem vnico tantum humore constare affirmantes. Negat igitur apertissime Hipp. hominem mori ex vnius humoris tantum modo euacuatione; vt puta, vel bilis solum; vel pituitae tantum. sed illud contingere affirmat, quia postquam medicamentum nimis acre proprium sibi attraxit humorem, alij fluant, exrcernanturq. succi. falluntur igitur qui ex vnico euacuato humore, credunt hominẽ interimi. exemploq. bilis assumpto, ostendit postmodum Hipp. quo ordine insequantur humores post euacuationem pituitae, qui primo, qui secundo, & qui tandem postremo. quae quidem adeo clara sunt, vt tempus in illis explicandis, minime sit conterendum.

Ad grauiora igitur se se vertat oratio nostra; inquiramusq. caussam, cur postquam medicamentum purgans aliquod proprium euacuauerit humorem (loquimur autem de ijs, quae vulgo electiue ducere dicuntur) alios etiam attrahere, & expurgare videtur. Et quamuis quaestio hac, illam prius explicandam esse ostedere videatur, qua inquiritur caussa attrahendi proprium humorem in medicamentis purgantibus, tamen ad praesens supponatur, illud euenire a propria forma, & a proprietate sub-

ſtantiae in medicamentis, quam, quid ſit, & quo modo operetur, paullo infra oſtendemus. Redeamus igitur ad rei propoſitae cauſſarũ contemplationem. Superpurgationum, quas ὑπερκαθάρσεις, graeci vocant, tres adducebat rationes Gal.iij.de ſimpl.medic.facult. mordacitatẽ medicamentorum, orificiorum adapertionem, & virtutis diſſolutionem. Cum enim omnia medicamenta purgantia, praeter deleteriam vim inſitam, facultate calida praedita ſint, vt saepiſſime aſſeueratum eſt a priſcis medicis, facillime & mordacitatem, & vaſorum adapertionem efficere poterunt. facultatis vero diſſolutionem, a defatigatione, quam dum a purgante medicamento mordicarentur, ac veluti emulgerentur, tum ob imtemperantiam illico poſt vnum exquiſite euacuatum humorem, cõſequentem, prouenire nemo eſt, qui ambigat. his igitur omnibus de cauſſis, facile eſt vt natura, poſtquam euacuatus fuerit humor, qui principaliter euacuari debebat, alios etiam ſinat abire ſuccos: & hinc humorum aliorum fiunt ſuperpurgationes. Sed ijs Galeni rationibus ex neotericis medicis, qui ſtudio contradicendi Galeno mirifice delectantur, non defuerunt, qui acquieſcere noluerint. inter quos minime poſtremas partes tenet Ioannes Farnelius, alioquin doctiſſimus, eruditiſſimuſq. medicus. Is igitur lib.iij.de medendi methodo, qui de purgandi ratione inſcribitur, acrimoniam, & mordacitatem medimentorum ad ſuperpurgationes adiuuandas, prolectandaſq. viſus eſt non admiſiſſe. cum dixerit, ſi hypercatharſeos ea cauſſa ſit, allium, pyretrum, & piper purgãdi facultatem ſortientur. ratus forſan Galenũ acrimoniã, & acredinem ſuperpurgationis cauſſam dixiſſe abſolute, & vndequaq. perficientem. Inſuper voluit Farnelius, quod ὑπερκαθάρσεις fiat ex vi quadam communi, & vniuerſali, qua praedita eſſe omnia medicamenta affirmat, ad attrahendum omnes humores accommodatiſſima, hac in re Hugonis Senenſis potius opinionem falſam ſuſcipiens, quam

17.cap.

5.cap.

quàm Galeni veram amplectens: quod vt probet vtitur sensato huiusmodi exemplo. Detur in corpore Dionis illud compertum esse, ad hoc vt bilis flaua expurgetur Rhabarbari necessariam, ac conuenientē dosim esse drachmas tres, pro atra bile extrahenda senae drachmas sex, ad pituitam vero requirantur Agarici drachmae tres. Si volumus omnes humores vno, & eodem tempore expurgare, minime exhibenda erit horum medicamentorum tanta copia; quia natura eam minime ferre posset. propinetur igitur vniuscuiusq. medicamenti tertia pars, Rhabarbari quidē & Agarici drachma, senae vero drachmae duae, omnium horum humorum bellissime optima educetur quantitas. sed istud non potest prouenire ex peculiari, quam obtinent proprium humorem purgandi facultate; quia suppositum est, ea agere non posse, nisi in multo maiori quantitate, quam fuerint exhibita. igitur dicendum communi ea vi, quam obtinent quemcunq. attrahendi, se inuicem adiuuasse, propriumq., ac sibi familiarem duxisse: ex qua postmodum communi facultate superpurgationes fieri contendit. Sed, quod pace tanti viri dixerim; toto errat coelo Farnelius. nullamq. aliā introducendā esse superpurgationum caussā, ab assignatis à Galeno ipso rationibus, firmissime vna cum plerisq. alijs medicis crediderim. cum praesertim humorum aliorum superpurgatio, naturae iam defatigatae potius ascribenda sit, eos non amplius retinere valenti; quam facultati „ alicui medicamentorum attractrici. Cum enim vascula „ vltim. cap. inquit Gal. iij. de simp. medic. facult. non amplius in se se „ continere succos possunt, & oscula eorum reclusa fuerint, „ nec irritare medicamentum desinat, possitq. nō amplius „ familiarem trahere succū, necesse quoq. reliquos excerni. „ Sed qua necessitate? nequaquam dixerim ego, quia medicamentis ipsis insit omnes humores attrahendi, aliciendiq. potestas: sed ea, qua natura iam defatigata, ac languescens, & veluti viribus destituta, eos abire sinit, affir-

mauerim. quae omnia non aliunde proueniunt, nisi ex vasorum infirmitate, osculorũ laxitate, & medicamenti purgantis mordacitate. quae quidem minime ab allio, pipere, & pyretro prouenire poterunt. in quibus etsi non leuis adsit mordacitas, numquam tamen in corpore nostro, eo vsq. extendi valebit, vt & vasa imbecillia reddere, & oscula aperire, eo pacto, quo faciunt medicamenta purgantia, possit. cum praeter acrimoniam sortiantur haec deleteriam vim, ac naturae nostrae lõge inimicã facultatẽ. ac faciant illa, quae familiaria quodammodo nobis esse dicuntur: quaeq. minime tantam naturae imbecillitatem inferre possunt. Sit igitur naturae nimium languescentis ob enumeratas rationes, opus superpurgatio haec, ne aliam, a Galeni traditis, inuenire, minimeq. tutam cogamur huiusmodi euentus caussam. Propositũ vero a Farnelio exemplum, praeter id quod imaginariũ, ac ficticium est, nihil cogit. quia dicam compositum illud pharmacũ ex Sena, Agarico, & Rhabarbaro attrahere illos omnes humores, non ea ratione, qua omnia illa ingredientia inuicem communi facultate sibi sunt adiumento. sed vnumquodq. eorum merito proprietatis substantiae proprium sibi attrahit humorem. statim dices; illud haud potest fieri, nisi sit in multo maiori copia. esto. ergo habeo intentum dicere poteris. nego hoc. & dico, quod praeter substantiae proprietatem, quae in medicamentis requiritur, necesse etiam est. vt ea, organa ad excretionem excitent. & ne mihi somnia fingere videar, adducam Galenum, qui loco proxime citato, ad hoc vt non excedens fieri possit purgatio, sat esse medicamenta excitare posse organa ad excretionem, testatur. vbi illud subintelligendum est, praeter proprietatem substantiae medicamentorum. quod si minus concedatur, quaecunq. naturam irritare ad excretionem valent, purgare etiam posse asseram ego. quod quam alienum sit a veritate nemo est, qui non videat. sit igitur verum requiri ad

purgationem organorum excitationem, ac impulsionem. verum istud minime fieri poterit a medicamentis ipsis sub quacunq. quantitate manentibus, quia tunc minima portio medicamenti humorem extraheret: sed requiritur vt quorumlibet quaedam constituta sit copia determinata, ex qua vsu iam comparatũ sit, purgationẽ absq. dispendio fieri posse. sitque haec in Rhabarbaro solo, ac seorsum ab alijs vsq. ad drachmas tres; ad totidemque ascendat quantitas Agarici: Senae vero conueniens dosis sint drachmae sex: haec omnia tamquam verissima admittantur. Modo componamus medicamentum ex ijs tribus ad tertiam partem redactis: exhibeatur; fit optima purgatio. istud non aliũde prouenire dixerim; nisi quod non minor acredo, ac mordacitas in hoc composito inueniatur: quam sit ea, quae in vno quoq. eorũ separatim sub propriam quantitatem, esse dicatur: quãobrem merito acrimoniae naturam quidem ad expulsionem irritare, ratione vero proprietatis substantiae in vno quoq. eorum proprium humorem attrahere poterunt omnia haec hoc pacto inuicem commixta medicamenta; absq. eo, quod communi, qua omnes respiciãt humores, vnum quodq. eorum praeditum sit facultate. negabimus insuper nos, drachmam Rhabarbari eam bilis copiam educere posse, quam, ceteris paribus, ex tribus drachmis educeremus: pariter & de alijs dicendum. ex quibus non adeo firmiter teneri posse hanc Farnelij sententiam nemo est, qui non videat. Quisquis igitur superpurgationis humorum rationes firmas habere cupit, is ad locum Galeni citatum accedat, in quo breuissime, doctissimeq. eas perstrinxit. 9.cap.

XXX.

Id ipsum & illi patiuntur, qui medicamenta assumunt, quae pituitam euacuant. Nam primũ pituitam uomunt, postea flauã bilem, tertio atrã. demum uero sanguinẽ purũ, in quo moriuntur. 27.cap.

COMMENTARIVS.

Supra ostensum est, quem ordinem seruent humores in superpurgationibus ad bilem flauam; hoc est quando exhibitum fuerit medicamentum bilem educens: nunc quo pacto se ipsos consequantur in superpurgatione ad pituitam docet: Qua in re illud perpetuo obseruatum fuit, quod post humorem medicamento familiarem, alter qui tenuior, magisq. ad eductionem paratior fit, consequitur, deinde minus paratus, tenuisq. postremo vero sanguis, qui vltimo loco à natura retinetur, quia vitae tesaurus esse dicitur. Hinc male audiuit Auerr. apud omnes
9.cap. medicos, qui lib. vij. sui colliget, & forte Asclepiadem immitatus, dixit, quod bilis, quia ceteris humoribus subtilior extitit, in omni euacuatione primo deponitur. deceptus in hoc forsan hic vir, quia nequaquam fieri potest, vt quolibet exhibito pharmaco, non inducatur aliqua vasorum adapertio; & hoc pacto bilis, humor admodum subtilis, fere semper in ijs, quae deijciuntur aparere solet. quae opinio cum satis, superq, a Gal. lib. de purg. medic. facult. improbetur; superuacaneum esse arbitramur plura pro Auerroe confutando in medium afferre. Ab Hipp. superioribus textibus ponuntur superpurgationes ad bilem, & ad pituitam, de ijs autem, quae melancholiam sequuntur, ne verbum quidem. quam ob caussam? Mos est Hipp. vt etiam annotauit Galenus, vt ex vno dicto, similia nos intelligere velit. quare cum in superioribus innuerit, post primum humorem euacuatum, tenuiorē semper insequi, illud hoc in loco nobis subiungēdum reliquit. adeo vt post succum melancholicū, bilem, deinde pituitam, postremo sanguinem euacuari recte affirmare possimus. vt libro iij. de simplic. medic. facult. testatus
17.cap. est Galenus:

XXXI.

Vt enim medicamentum fuerit corpus ingressum, id quod sibi maxime omnium, quae in corpore sunt, ex natura est, agit. mox uero reliqua trabit, purgatq. In quẽ modũ stirpes, & semina post quã in terrã iacta fuerint, attrahit unũ quodq. quidquid in terra reperiet, quod ei naturali affinitati congruit. (at uero terrae inest acidum, dulce, amarum, salsum, & omnimodum) primum itaq. illius plurimum attrahit, quod natura maxime sibi proximum est, subinde autem alia. sic & medicamenta in corpore faciunt, nam quaecunq. uim habent, ut bilem detrahant, primo syncerissimam bilem expurgant, inde eam mixtam. sed et quae pituitam, primum eam syncerissimam, postmodum commixtam cient. Iugulatis quoq. sanguis primum erumpit, qui & calidus, & rubentissimus est, postea pituitosior, & biliosior effluit.

COMMENTARIVS.

Quia dixerat Hipp. supra humorem trahi a proprio, ac determinato medicamẽto, deinde alios; & cum huc vsq. dictum non fuerit, quo modo hoc habeat facere medicamentũ purgans, ideo in ijs verbis rei huius caussam subiungit. & quamuis aliquibus forsan videri possit, hunc debuisse Hipp. ordinem seruare, primo, scilicet, caussam, & modum, quo fit purgatio, tradere; deinde de superpurgationibus verba habere; tamen quia ex superpurgationibus, opportunam habebat caussam, antiquorum medicorum errores detegendi, ideo inde occasionem nactus, de ijs primum; secundo loco de caussa purgationis locutus est. Possumus etiam iuxta methodum descriptã a Galeno dicere. Quod cum sibi proposuerit, postquam hominis particularia elementa inuenerit, quam nam facultatem obtineant ab aliquo agendi, vel patiendi, contemplari; cumq. nunc nunc sermonem habiturus esset de passionibus ijs, quae humoribus ex constitutione aeris ueniunt, vt coniungeret insimul tractationem de eorun-

dem actionibus, & passionibus; ideo hanc ob caussam de modo, quo expurgantur humores tractare voluit; cum succi hi non leuem patiantur a medicamentis purgantibus passionem. hoc igitur pacto contextus iste cum superioribus, ac cum ijs, quae sequuntur coniungi poterit. Vult igitur Hipp. caussam tradere, ob quam medicamentum purgans particularem, ac determinatum sibi attrahat humorem. & hanc similitudinem in substantia medicamenti, quam habet cum humore attracto, esse; docere vult. quod vt commodius efficere possit, similitudinem a stirpibus, & seminibus in terram iniectis, accipit, vt ex sensatis, ea, quae minus sensibus obijciuntur, edoceat. Dicit igitur Hipp. hunc in modum. *Postquam medicamentum fuerit in corpus ingressum, id quod sibi maxime omnium, quae in corpore sunt, est,* idest, simlimum in substantia, *agit*, attrahit, & expurgat. Similitudinem substantiae potissimam esse caussam purgationis ex hoc loco desumpsit Gal. idemq. iij. de simpl. medic. facult. testatum re-
24. & 25. cap. liquit. An vero humorum attractio, & in vnum locum reductio, quando sumptum fuerit medicamentum fiat, vel quia medicamentum pergat ad partes ipsas, & ad hu-
43. problem. mores, vt visus est uoluisse Arist. j. problematũ sectione: vel quia existente medicamento in ventriculo, inducatur inclinatio quaedam in humoribus effluendi ad illum locum; quo pacto magnes immota manens ferrum attrahit, prolectatq. vt nonnulli alij voluerunt, ex hoc loco facile erit coniectari. Siquidem si ad exemplum sibi propositum mentem adhibebimus, humores ad locum, vbi medicamenta sunt, vehi Hipp. voluisse videbimus. Nam quemadmodum nemo est, qui facultatem altricem in stirpibus, & seminibus plantarum, in terram ingredi, & subintrare ad inueniendum proprium alimentum affirmare auderet; sed potius succos adiacentes naturali facultate attrahere concederet. pari ratione dicendum de medicamento ipso ad intra corpus sumpto. Sed quis hoc fa-

cile credere poterit in aliquibus medicamentis solidis, vt puta in catapotijs, quae substantia crassa sunt; in alijs vero minime, cum ex Rhabarbaro, & Cassia, & alijs similibus vrinas colore eorundem infectas excernant, qui medicamenta haec acceperint. quod manifestissime indicat medicamentum etiam ad vasa confluxisse. Insuper ambiget quis de vaporibus, petũt ne isti humores nec ne? Facilis solutionis sunt nodi isti. Ad primum Hipp. velle humores ad locum medicamenti trahi, & allici affirmauerim; sed medicamenta talem esse sortita naturam, vt nequaquam pertransire possint, saltem pro parte, eum voluisse minime credam. Ad secundum, nemo est, qui vapores medicamentorum vbiq. repere, & veluti corpus lustrare non concedat. quos ex minori medicamentorũ copia, minus; ex maiori vero maxime eleuari, facile mihi persuadeo. Quod igitur radicibus plantarum euenit, quae terrae innixae, in qua & acidum, & insipidum, & salsum, & omnes alij sapores insunt, proprium, ac sibi cõueniens alimentum elligere sciunt; illud, scilicet, quod simillimum ipsis est in substantia: idem medicamentis purgantibus accidit. quae primo sibi familiarem, in substantiaq. simillimum attrahunt hnmorem. deinde alios etiam cum proprio, ac sibi dicato mixtos prolectant, aliciantq. eo pacto. quo semina, & radices alienos succos familiaribus confusos pro nutrimento attrahunt. Sed quis dicere poterit. tu negasti nunc nunc aduersus Farnelium medicamenta praedita esse communi illa facultate, qua omnes, communiter humores eliciunt, & tamen Hipp. eam concedere videtur: dum post familiarẽ, alios etiam expurgare affirmat. Hipp. admittere medicamenta posse alios humores trahere quidẽ cerno; quod autem hoc efficiant, altera facultate communi, qua omnes respiciant, nequaquam asserere video. Trahunt quidem alios quandoq. humores admixtos proprio familiariq. succo, quia in ijs, quae adamusim mixta eo pacto

quo humores sunt, impossibile videtur vnum trahi posse, absq. quod aliquid aliorum fluat simul confusum. Quod autem Hipp. dixerit medicamẽta trahere alios humores; potius respiciens ad confusos, commixtosq., quam ad reuera distinctos humores, manifestissimum ex eo euadit; quod exemplificat postmodum dictum suum in eodẽ humore, cum dicat. quaecunq. vim habent, vt bilem detrahant, primum syncerissimam bilem expurgant, inde eam mixtam, &c. Quod si Hipp. dictum ad alios etiam humores extendere voluerimus, illud dicere poterimus: medicamenta haec si minus correcta, vt vulgo dicunt, ac limitata, quam par sit, exhibita fuerint, alios etiam videntur attrahere humores; non quod reuera attrahant, sed quia vasorum imbecillitatem, orificiorumq. adapertionem immodicam efficiunt. quibus de caussis natura minime retinere valens, eos perfundere innita dicitur. Vel si Hipp. etiam admisisse voluerimus, medicamenta alios post familiarem trahere posse succos; non tamen ex hoc, Farnelij sententia comprobabitur. quia sat fuit Hip. vt aduersus antiquos, ostenderet ex nimia exhibitione medicamenti, non vnum, sed plures fluere humores, & hoc pacto eos inducere mortẽ; sit modo euentus huius quaecunq. caussa: ad hominem enim in hac parte argumentatur. veramq. superpurgationis caussã tamquam minime proposito suo conducentẽ hoc in loco forte praetermittens, ne in ea ennarranda longioribus verbis vti, quam iam sibi proposuisset, absq. vtilitate opus fuisset. In calce textus meminit Hipp. effluxionis sanguinis, de qua alio modo locutus fuit, quam de alijs fecerit humoribus. non quatenus expurgatur per medicamenta, sed quatenus ex vulnere exit. ex quo primò syncerior, deinde biliosior, & pituitosior effluit. cur autem hoc modo locutus fuerit, iam supra caussam satis, superque aptam (iudicio nostro) tradidimus.

Postquam Galenus in expositione, quot sint pituitae species

species visus est declarasse, cum ex ipsius dictis alijs in locis, aliqua sit diuersitas, cum ijs, quae hoc in loco dicuntur, ideo non inutile fore iudicaui, si quae de pituitae speciebus a me obseruata sunt, breuiter connotabo. Galenus quattuor hic facit pituitae species salsam, dulcem, acidam, & insipidam; quod & factum fuit ab Auctore libri de humoribus, qui Gal. ascribitur. ij. vero de diffi. feb. 6.cap.
insipida praetermissa, loco eius vitream substituit. iiij. 13.expo.
vero de ratione victus in morbis acutis; relictis insipida, & vitrea, de ceteris tribus tantum mentionem facit. Insuper quaeri posset, quae nam inter tot, ac tantas pituitae differentias est naturalis, quae ue praeter naturales nominandae? & in hac re varie respondit Gal. nam libro 2.cap.
de atra bile, pituitam insipidam naturalem esse affirmat. ij. vero de facult. naturalibus id tribuit dulci. Praeterea vlt.cap.
Archangelus Piccolomineus in ijs commentarijs, quos scripsit in lib. de hum. Gal. adscriptum, septem constituit species pituitae ad mentem Gal. quae sunt hae. insipida, seu, vt ipse ait, carens odore, & sapore, vitrea, acida, dulcis, salsa, aquosa, & ichor, siue ichoralis. Quo ad Galenum, vbiq. eum sibi constare affirmauerim. quando igitur hic facit quattuor pituitae species, naturalem non naturalibus miscuit. quando vero lib. de rat. vict. in morbis acutis, tres tantum eas cōstituit, loquebatur de praeter naturam constitutis. quod idem faciebat ij. de diff. febr. quo in loco etsi adiunxerit vitreā, eam tamen paullo infra ad acidam refert. & hoc pacto ibi tantum erunt tres pituitae species praeternaturales. Illa pituita secundum naturam suam se habebit, quae qualitatibus frigida, & humida praedita fuerit. cum humores naturales contradistinguantur interse ex combinatione quattuor primarum qualitatum. Sed huiusmodi est insipida. ergo insipida naturalis erit. Dulcis vero cum a caliditate temperata, vt faciunt omnia dulcia, saporem hunc contraxerit; si nobis comparetur, dici poterit, quo quo pa-

cto naturalis. quia ex ea, tamquam semicocta facillimè nutritur animal: cum concoctio nō fiat absq. dulcedine, cumq. natura dulci qualitate maxime gaudeat. nulla igitur est in Galeno controuersia. Quo vero ad Piccolomi-mineum haec pauca subiungam, primo pituita vitrea, nō est diuersa constituenda species ab acida: nisi risibile faciat diuersam speciem a rationali. Secundo aquositas diuersum minime pituitae genus astruere potest, quia est accidens, quod omnibus pituitae speciebus coniungi solet. Tertio toto coelo errat hic vir, cum ichorem inter pituitae differentias connumerat. tum quia si esset pituita, is potius sub genere aquoso, quod ipse ponit, collocandus esset, quam nouum constituundum genus. Cum nil aliud significet ichor, quam aquositatem. tum etiam quia id nulla auctoritate Galeni motus affirmat. Sed
» haec verba tantum habet. Sed & septima videbitur ad-
» iungenda. Gal. namq. in innumeris pene locis ἰχῶρ ponit, idest, aquosum, seu serosum excrementum. quod &
» nonnumquam pituitam aquosam nominat. Praeterea cū
» id quod continetur in venis, aut sit humor aliquis, aut ad
» humorem aliquem reuocari debeat, & aquosum excrementum, quod in uenae sectionis sanguine cernitur, nec
» sit aliquis ex primis humoribus, nec videatur nisi ad pituitam posse reuocari, illud certe confectum erit, serosum excrementum, ad pituitam reuocandum esse. In quibus verbis illud primo damnamus, quod nulla auctoritas citatur, qua innitatur haec opinio. Secundo quam inepte argumentetur, quando dicit serosum excrementum, quod in sanguine extracto per sectionem venae cernitur, non posse reduci, nisi ad pituitam, nemini non est apertum. Nam dicam ego ad mentem Galeni, excrementum illud vrinam esse, quae vna cum sanguine per venas ambit. Praeterea dato, quod sit ichor, dicā iuxta Galeni sententiam locis, quae supra citaui, vbi de ichore verba habita sunt; vnum quemq. humorem in quantitate illa

ſanguinis extracta ſuum habere ichorem. adeo vt vnam partem; ſi aquoſitas illa, vt animo, ita re ipſa partibilis eſſet; eſſe ichorem pituitae, illam vero ſanguinis, aliam bilis, quartam vero melancholiae affirmare poſſimus. Valeant igitur huius uiri rationes. Nos autem cum Galeno dicamus, pituitam aliã eſſe naturalem, & haec erit inſipida; alias praeter naturam, & iſtae erunt tres. ſalſa, dulcis, & acida, nec plures, nec pauciores.

XXXII.

Et pituita quidẽ in homine augetur per hyemem, ut pote, quae natura maxime cũ hyeme conueniat. Eſt enim humorũ omnium, quibus corpus praeditum eſt, frigidiſſima. cuius rei id teſtimonium habeas, quod ſi pituitam tetigeris, ſanguinemq. atq. etiam bilem, pituitam omnium inuenies frigidiſſimam, tametſi ea uiſcida ſit, uiq. maxima poſt atram bilem trahatur. at quae ui cientur a uiolentia coguntur incaleſcere. his tamen omnibus non obſtantibus, pituita ſuapte natura frigidiſſima eſſe uidetur. At uero quod hyems corpus pituita repleat, inde noueris. Hyeme expuunt, atq. per nares pituitoſiſſima homines emungunt. ſed & tumores albi hoc maxime tempore exoriuntur, & reliqui praeterea morbi pituitoſi.

COMMENTARIVS.

Conſtitutum fuit ab Hipp. huc vſq. quaenam eſſent corporis humani (hoc enim erat, quod quaerebatur) elementa particularia. probatumq. fuit, haec eſſe quattuor humores. Modo cum iſtos certis quibuſdam temporibus augumentum, & decrementum accipere videamus; reliquum erat, vt cauſſa, & veluti neceſſitas huiuſce permutationis redderetur; cũ ſupra pollicitus fuerit velle tradere cauſſas, cur in corpore augeantur, ac contabeſcant. 8. tex. Hocq. nihil aliud eſt, quam quaerere facultatem, quam habent ab aliquo patiendi. vt dicit Galenus in deſcribẽ-

da methodo. dum enim humores modo augentur pro ratione tempestatum, modo minuuntur a temperamento illarum; eos pati facile dicere possumus. Istud etiam ostendit facultatem, quam habent agendi; nam cum maiori sunt sub quantitate, magis corpus humanum suis quālitatibus afficiunt; cum sub minori, minus. vt igitur ostenderet facultatem istam agendi, vel patiendi ab aliquo, tempestatum meminit, vt refert Galenus, considerās quo modo inuenta elementa se haberent erga ipsas. Inchoat igitur Hipp. sermonem suū ab hyeme, & a pituita; ostenditq. rationem cur hyberno tempore pituitam augeri contingat in homine: & hanc esse similitudinem, quae est inter temperamentum ipsorum, asserit. vtrumq. enim frigidum ex sua natura, & humidum existit. quod tam de hyeme naturali intelligendum est; quia etiam sicca, & alijs qualitatibus praedita hyems dari potest; quam de naturali pituita. quamuis non negarem etiam & de quāplurimis alijs pituitae generibus, idem vsu euenire posse. ratione ergo similitudinis temperamenti pituita hyeme augetur, increscitq. Deinde a signo, & ab ijs, quae sensu percipiuntur demonstrat Hipp. pituitam esse frigidam; & eam augeri per id tempus. Quod pituita sit frigidissima, iudex esse poterit sensus tactus. si enim sanguinem & bilem flauam tanges, longe calidiora illa pituita inuenies. immo eam penitus frigidissimam esse, reperies. cū tamen, quae crassa, & viscida sunt, difficulter extrahantur e corpore. quae vero maxima vi trahuntur, & corporis partes aliquas difficulter pertranseunt, tum ratione motus, tum quia in transitu acquirunt partium qualitatē calidam, ideo calida exeunt. quod sola ratione motus vsu euenire in terebra videmus. omnes enim sciunt, quā calida extrahatur terebra ex ligno illo, in quo non nisi maximo motu, ac conatu ingressa fuerit. ratione vero transitus per partes calidas multa sunt, quae calida, immo calidissima erūpunt. vt in quamplurimis aquis ther-

malibus videre licet. quamobrem cum humorum omnium pituita viſcoſior, & poſt atram bilem difficillimae tractionis, & expulſionis ſit, nec tamen incaleſcat, hinc manifeſtiſſime ingentem frigiditatem ſuam oſtendit. Quod autem hyems pituitā in hominis corpore augeat, indicat Hipp. ex tribus. primo ex ſputaminibus, quae ex capite in os defluunt. ſecundo ex deſtillationibus narium. tertio ex colore tumorum per id tempus euenientium, & ex alijs morbis. quae omnia manifeſtiſſime auctioni pituitoſi humoris atteſtantur. Verum quis hoc in loco dubitare hunc in modum poterit: Si ſputamina, & narium mucus arguunt hyme pituitam augeri, quo pacto id faciant? an tantum colore, vel ſubſtantia, vel qualitatibus? vel ſi aliqua horum trium conditionum; cur Hipp. nō explicauit eam, ſicuti fecit de tumoribus; qui per id tempus eueniunt: quando ex albo colore, eos pituitam ſignificare affirmauit? Inſuper, ſi Hipp. ſibi propoſuit velle oſtendere, ex deſtillationibus pituitam augeri hyberno tempore; cum aliae ſint defluxiones multae; vt illa, quae ad aures: & illa, quae ad oculos deuenit: cur de eis tantum mentionem fecit, quae ad nares, & ad os demandantur? Ad quaeſtionem principali loco motam redeuntes, ijs, qui quaerunt, quo modo ſputamina, & deſtillationes ex naribus, pituitam ſuperabundare oſtendant, an colore, an ſubſtantia, an qualitatibus: reſpondebimus omnibus ijs id praeſtare poſſe. Nam quae ex naribus emunguntur ſuperfluitates, modo in cerebro non ſit alia diſcraſia, quam ea, quae ex ambientis conſtitutione prouenit; tempore hyberno erunt albae; quandoq. craſſae, quādoq. tenues; frigidae, & humidae. pari pacto & hae, quae per os expuuntur eaſdem penitus notas in ſe habebunt. Igitur ijs omnibus tribus, indicio poterunt eſſe, hyemem maxime pituitam augere, quod erat Hipp. intentum hoc in loco: non autem indicia haec expreſſit, quod vnicuiq. gregario medico ſatis, ſuperq. innoteſcere poſſint, tam-

quam ea, quae non nisi ex frigida cerebri qualitate prouenire possint. colorem autem tumorum, cum eorum mẽtionem faceret, non subticuit. quod hi praeter album, alios omnes possint habere colores, cum ex alijs etiam humoribus, praeter pituitam, fieri possint. Aliarũ vero destillationum, quae fiunt tum ad oculos, tum ad aures; diuersis de caussis mentionem non habuit. De ea quidẽ quae ad aures fit, non loquitur: quia biliosum excrementum per ipsas expurgatur; vt sexcenties cum ab Hipp. tũ a Galeno dictum fuit; pituitam vero augeri ostendere volebat. eam vero, quae ad oculos defertur, subticuit; quia obscura est, & in tam pauca quantitate, vt superabundãtem pituitam (quod est Hipp. intentum) minime ostendere possit. *Et ceteri morbi.* Morbos, qui hic silentio in-
23.aphor. uoluuntur explicat Hipp. iij. aphor. vbi scripsit. „ Hyeme „ fiunt morbi laterales, pulmonis inflammationes, grauedines, „ atq. raucedines, tusses, dolores pectoris, & laterũ, „ atq. lumborum. capitis dolores, vertigines, & apoplexiae. Qui omnes morbi ex pituita, vt plurimum per id tempus ortum ducunt. quos praetermisit Hipp. contentus ijs indicijs, quae omnibus hominibus manifestissima sunt. qualia sunt spuitiones, narium mucus, & color tumorum. Cum annus diuidi possit duobus modis, & ratione qualitatum in aere praedominantium, & ratione ortus, & occasus sydérum, quo pacto diuisit eum Gal. j. in
1.expo. j. de morb. vulg. Illud hoc in loco notandum; quod tum in hac particula, tum in sequentibus, vbi de incremento & decremento humorum agitur, partes anni quatenus quidem ortu sydérum inter se distinguuntur accipiendae sunt. Sed tamen vna quaeq. earum proprijs qualitatibus praedita intelligi debet. adeo vt hymes frigiditate, & humiditate; ver caliditate, & humiditate; aut aeris temperie: aestas caliditate, & siccitate; autumnus siccitate, calore vero, & frigore inaequalibus praepolleat. sin minus Hipp. rationes maxime peruerti, & in controuersiam vocari possent.

XXXIII.

At uere pituita quidem in corpore adhuc pollet, & sanguis accrescit. frigora siquidem remittuntur, & aquae accedunt. & proinde sanguis augetur, nempe ob imbres, & calidiores dies. Ipsi enim ex anni temporibus haec maxime sunt secundum naturam: nam & humidum, & calidum est. Id quod his cognosces indicijs: Vere ac aestate maxime dysenterijs homines arripiuntur; sanguisq. e naribus defluit, & sunt praeterea calidissimi, & rubicundissimi.

COMMENTARIVS.

Sicuti superius probauit pituitam ratione similitudinis, quam habet cum hyberna constitutione, eo tempore augeri; idem nunc praestat de sanguine, qui tempore veris, nullam ob aliam caussam augeri contigit; quam propter anologiam, quã inter se habent sanguis, & ver. Idq. ad sensata deueniens Hipp. probat duobus testimonijs; ex rebus, scilicet, praeternaturalibus, & naturalibus. Praeternaturales sunt dysenteriae cruentae, quae per id tempus eueniunt; & sanguinis e naribus fluor. Naturales vero, caliditas, & rubeus color, eo tempore in hominibus maxime vigentes. Verum illud in fluxu sanguinis considerari debet: quod cum duplici modo huiusmodi fluor fieri contingat; aliquando enim omnino praeternaturam, vt cum in immodica excernitur quantitate: quo pacto homines quandoq. ad malos exitus perduxisse dicitur. aliquando vero aut in paucissima quantitate, aut in aliquo morbo ratione crisis, etiam quod fluat in maxima copia, eueniat: quibus duobus modis, tantum abest eum esse exacte praeter naturã, vt potius si quid vel adest, vel aduenturum sit in corpore praeternaturam, id facillime vel tollere, vel impedire possit. De quo nam fluore sanguinis, dicet quis, hoc in loco verba fiunt? Hipp. sermonem maxime pronuntiatum de eo, qui est symptoma in genere immodice excretorum, crediderim; motus

10. aphor. tantummodo eiusdem Hipp. auctoritate. cum iij. aphor. lib. vbi veris morbos connumerat, fluxus sanguinis inter ceteros nominauit. Et haec quo ad expositionem verborum; cum reliqua ex se clarissima sint. Modo relinquuntur tres examinandae dubitationes, quae ex hoc textu, alicui insurgere possent. Prima erit haec. Cum omnium nationum consensu illud sit acceptum, annum incipere a vere. cur Hipp. volens demonstrare tempora anni caussam esse incrementi, & decrementi humorum, non est auspicatus ab eo, quod est principium anni? Nec istud ratione humorum factum fuisse dici potest. cum pituita nec sit humor naturalis magis quam sanguis; nec in maiori quantitate, quam sanguis; nec aliquo alio priuilegio donata, qua alios antecellere deberet humores. secundo quaeri posset, an veris temperamentum sit calidum, & humidum; an potius temperatum, vt ait Galenus. tertio illud dubitari contigit; an sanguis calidus, & humidus sit, an potius temperatus. Ad primam breuiter respondeamus, vt ad alias pertransire possimus. Ab hyeme, & a pituita incipit Hipp. incrementum humorum ostendere, tamquam ab eo, quod magis euidens erat. Nam magis omnibus hominibus conspicuum est, pituitã augeri tempore hyemis, quam ceteros humores, ceteris anni temporibus. quod ex indicijs traditis ab Hipp. omnes videre possunt. Nam quis est, qui in hyeme aliquid non expuat? aut aliquid ex naribus non emungat? Non omnes tamen patiuntur & dysenterias, & fluxus sanguinis ex naribus: neq. pariter omnes sunt calidi, & rubicundi, magis eo tempore, quam alio. Idem & de alijs dicendum. Igitur optime fecit Hipp. auspicans sermonem ab eo tempore, & ab eo humore, in quibus indicia apertiora apparebant. Sunt etiam doctissimi homines, qui respondent id forsan factum fuisse ab Hipp. vt eum ordinẽ seruaret, quem naturam in humorum generatione seruare animaduertimus. primo enim generatur pituita; deinde

inde fit ſanguis, poſtremo ceteri omnes humores. quare a pituita exordiens; idcirco hyemis ante omnia alia tempora prius meminit, deinde veris, & ſubinde omnium aliorum. Ad dubitationem, qua quaeritur, an ver ſit calidum, & humidum, vt dicit hic Hipp. an temperatum, vt 4.cap.
aſſerit Gal.j. de tempera. Galenus reſpondere videtur, quod ver ſi in ſe conſideretur, manifeſte temperatum eſſe deprehenditur. ſi vero collatione ad alia anni tempora, & maxime ad autumnum, a quo eo modo diſſimile eſſe debet, quo diſſimilis eſt aetas ab hyeme; poterit calidũ, & humidum nuncupari. quo pacto illud hoc in loco appellauit Hipp. & hoc modo tolluntur difficultates, quae poſſent inducere cotrouerſiam inter Hipp.& Gal. Tenẽdum tamen firmiter eſt, ſecundum Galenum, ver eſſe temperatum, vt inconuenientia, quae exinde euenirent, ſi calidum, & humidum ſtatueremus, effugere poſſimus. quod quidem intelligere debemus de vere, ſua naturali conſtitutione praedito; ſemotis omnibus accidentibus, quae eius varietatis, cauſſa eſſe poſſunt. An vero ſanguis ſit calidus, & humidus, vel ne (quod tertio loco quaerebatur) nunc inquirendum venit. Galenus hac in re varius viſus eſt. Nam in hoc eodem opere paullo infra ſanguinẽ temperatum viſus eſt ſtatuiſſe. lib. vero de diff. morb. & 36.&39.cap.
infinitis alijs in locis, eum calidum, & humidum eſſe, a- 12.cap.
perte tradit. non ſecus cenſuit, & Ariſt. ipſe iij. de hiſt. 19.cap.
animal. Praeter quas auctoritates, rationes etiam non paucas vndiq. afferre poſſemus; ſed minus extra propoſitam materiam vagaremur: & alijs incudibus, vt aiunt, elaboratum opus pertractare videremur. Quid hac in re dicendum? Aſſererem ſanguinem, qui quartus humor dicitur, reuera eſſe temperatum ſecundum ſuam ipſius naturam, in corpore optime diſpoſito. cum nulla qualitatum manifeſte in eo excedere debeat, cumq. a calore temperato fieri dicatur. Quatenus vero ad alios humores comparari poteſt, ſi quis eum ponat calidium, & hu-

midum, certe faciet, ea ratione, qua idem asserimus de vere, & tanto verius istud affirmare poterimus, si verũ est Galeni dictum in lib. de simpl. medic. facul. vbi quae temperata esse dicuntur, non absq. moderata caliditate, humiditateq. talia constitui posse, testatũ reliquit. Haec igitur pauca, quo ad has disceptationes breuiter dicta sint. qui eas exactius, & exquisitius tractatas videre cupit, is accedere poterit ad commentarium Piccolominei in lib. de humor. In quo illud aduertant studiosi, nullum facere negocium duas illas Galeni auctoritates, quas adducit ad probandum sanguinem esse calidissimum; quemadmodum & ipse ostendit: quarum vna ponitur j de tēp. altera lib. de form. foetus. tum quia non de proprio calore sanguinis loquitur his in locis Galenus, sed de eo, quem in transitu a corde acquirit. tum quia de aggregato quattuor humorum omnium verba habet, de quo etiam ceteris in locis supra citatis intelligit; cum eum humidũ, & calidum statuit. nos autem loquimur de eo sanguine, qui est quartus humor; deq. propria eius qualitate, ac temperatura. Et sicuti non est verum dicere omnes, qui laborant febre; quae est calida, & sicca; esse temperamento calido, & sicco; quamuis tunc temporis habeant maximam caliditatem, & siccitatem, ita pariter & de sanguine participante colorem a corde, non est dicendum ex sua natura esse calidissimum. ex his igitur manifestissimum euadit nullum facere negocium, hac in re, duas illas Galeni auctoritates. Sed adhuc remanet quaestiuncula quaedam in hoc Hipp. loco. Nam si verba eius iij. aphor. quibus morbos tempore veris euenientes, ennumerat, inspicere volumus; videbimus hoc tempore, atrae bilis etiam esse in corpore maximam copiam. quod tamen minime esse deberet, cum longe distent inter se atrae bilis, & veris qualitates ac temperaturae. Nam ipse

(margin: vlt. cap. — 3. cap. — 20. aphor.)

,, scribit: Vere etenim furores, & atrae biles, & morbi
,, comitiales, & profluuia sanguinis, & anginae, & graue-

dines, & raucedines, & tusses, & leprae, & impetigines, & »
vitiligines, & pustulae vlcerosae plurimae, & tubercula; »
& articulorum morbi. Modo atrae biles, & leprae, vt de »
alijs sileamus; ex humore melancholico superabundante
fiunt; & eum in corpore item redundantem ostendere di
cuntur. Facilis est responsio. Non enim ex eo, quod per
id tempus melancholia superabundet, eueniunt hi morbi.
sed ea ratione, qua humor hic, alijs anni temporibus a-
ceruatus, & aggregatus, a calore ambiente ad corpora
nostra nuperrime addito, attrahitur ab intimis corporis
partibus, ad externas. quo extracto, si in caput raptum
habuerit, atrae biles; si in cutim, leprae fieri contingunt.

XXXIV.

*Aestate autem sanguis adhuc uiget, & bilis in corpore assur-
git: quae ad autumnum usque protenditur. Autumno exiguus
efficitur sanguis, quod naturae eius autumnus aduersetur. Bilis
uero corpus aestate, & autumno occupat: quod his indicijs co-
gnosces: nimirum hoc anni tempore, homines bilem sponte euo-
munt, & biliosiora medicamentis purgati deijciunt. Id ipsum
& febres indicant, & hominum colores. Est uero pituita aestate
imbecillior: est enim tempus hoc naturae illius aduersarium;
quippe cum calidum, & siccum sit.*

In princ. 2. expo. 4. cap.

COMMENTARIVS.

Bilem naturaliter incrementum accipere a caliditate, & siccitate aestatis, cum in his duabus qualitatibus inter se conueniant, hac particula docet. Idq. ex euacuationibus, morbis, & coloribus ostendit. Cumq. euacuationes sint in duplici differentia, aliae enim spontaneae sunt; aliae ab arte paratae; de ambabus mentionem facere voluit. Siquidem dixit, homines bilem sponte euomũt, & biliosiora medicamentis purgati deijciunt. Aliud in-

" dicium dicebamus ex morbis sumptū fuisse. per id enim
" tempus febres omnes, quae eueniunt, bilem superabun-
" dantem manifestò ostendunt. Verum Hipp. breuitati stu
dens protulit tantum febres. iij. vero aphor. cuius nam ge
neris sint, his verbis, scriptum reliquit. quibus etiā alios,
21.aphor. praeter febres, connumerat aestiuos morbos. Aestate
" autem nonnulli horum, (scilicet, qui eueniunt tempore
" veris) & febres continuae, & ardentes, & tertianae fe-
" bres, & quartanae, & vomitus, & alui profluuia, & lippi-
" tudines oculorum, & aurium dolores, & oris vlceratio-
" nes, genitalium putredines, & sudamina. Tertium pro-
bationis genus desumebatur a coloribus: colores enim
quibus praediti sunt homines bilem flauam, seu pallidam
mirifice indicant. cum per id tempus homines pallidio-
In princ. res reddantur. Colores efflorescere, quales sunt humo-
2.expo. res praedominantes in corpore, testatur Hipp. lib. de hum.
4.cap. & Gal. j. aphor. eosq. esse humorum proprietates, non au-
tem partium, docuit Gal. iiij. de sanit. tuend. quinimmo
omnium colorum in corpore apparentium, medici humo
ribus caussas assignant; vt etiam annotauit doctissimus
Simon Portius, in commentario, quem in lib. de colorihus
edidit. quales igitur sunt humores, efflorescit color ad
extra: nisi intro regurgitauerint, & retracti fuerint. quod
quidem euenire potest, aut propter frigus, aut propter
rigorem, aut aliquam animi perturbationem, vt sunt ti-
mor, tristia, pudoris initium, & alia consimilia. vt an-
notauit Galenus loco citato lib. de tuenda valetudine.

XXXV.

Autumno sanguis in homine fit paucissimus, nam siccus est autumnus, & qui iam hominem refrigerare incipiat. Porro atra bilis autumno plurima est, atque plurimum uiget.

COMMENTARIVS.

Ad quartum nunc transit humorem, qui supererat adhuc, nempe ad succum melancholicum. Ego enim libentius latine dico verba illa μέλαινα χολή, bilis nigra, seu

succus melancholicus, quam atra bilis. Ostendit igitur humorem hunc autumno augeri: & ex contrario sanguinem per id tempus minui. Siquidem autumnus est frigidus, & siccus; sanguis vero est calidus, & humidus. Hic notandum venit aliquam reperiri controuersiam inter Hipp. & Gal. Siquidem Gal. j. de temperamentis autumnum vult esse siccum, & inaequalem in calore, & frigore. 4.cap. idest, modo istud illum superare; & contra; modo illum hoc excedere; vt per id tempus sensu percipit quilibet. Quod etiã Gal. ex verbis ipsiusmet Hipp. colligit, qui iij. aphor. dixit. Vbi eodem die modo calor, modo frigus erit, autumnales morbi expectandi sunt. Dicere possumus Hipp. de autumno non secus censere, ac faciat Gal. 4.apho. sed cum hoc in loco vellet ostendere bilem nigram, quae est frigida, & sicca; proportione autumno respondere; nõ metuit statuere eundem siccum, & frigidum. forsan ad longitudinem caloris, & frigoris in autumno dominantiũ respiciens. Siquidem longiori temporis spatio perdurat frigus, quam calor, cum hic non nisi in meridie increscat; illud vero & tota nocte, & mane, ac vesperi inualescat. quamobrẽ cum magis perduret autumni tempore in aere frigiditas, siccitati iuncta, quam caliditas; idcirco maxime facere ad nigri humoris incrementum dicitur autumnus. qua de caussa opus fuit Hipp. earum meminisse qualitatum, quae nigro humori correspõderent, easq. in autumno statuere. hae autẽ erant frigiditas, & siccitas; non autem siccitas, & in calore, ac frigore inaequalitas. Quod affirmauit Hipp. hoc in loco de nigra bile; eam, scilicet, augeri tempore autumni, nullis probauit indicijs, quemadmodum fecit de alijs. Sed id protulit tantummodo, ac legislatorum more veluti sanciuit. Num forsan quia voluerit nos ex similibus istud adiungere? an quia istud adeo euidens est, vt nulla indigeat probatione? Quis enim animaduertens morbos, qui per autumni tempestatem fiunt, non nouit nigrum humorem tunc tempo-

ris quam maxime dominari? Morbi, quos nobis autumnus affert, vt iij. aphor. habetur. sunt hi. Febres quartanae & erraticae; lienes; aquae intecutem, & tabes; & stillicidia vrinae: & difficultates intestinorum: & leuitates intestinorum: & coxendicum dolores: & anginae: & anhelationes (quas graeci astamata vocant.) ilei, morbi comitiales: furores: atrae biles. Sed adhuc relinquitur dubium ab Archangelo Piccolomineo motum in ijs còm. quos in lib. de hum. Gal. adscripto, exarauit. Is igitur dicit, si sensui acquiescere volumus, nos omnino iudicaturos autumnum esse siccum, & in calore, & frigore inaequalem, cum tunc temporis modo calor, modo frigus percipiatur. Sed si rationes insequi voluerimus, tenet ipse, nos prorsus non posse non confiteri, autumnũ esse, vt ver, temperatum. Ad quod probandum mouetur duabus rationibus, & auctoritate vna Galeni, quas prorsus infrangibiles tenet; quasq. insolutas reliquit. Nos vero non recedentes ab antiquorum placitis, autumnum esse siccũ, & inaequalem eo modo, quo ponit Galenus, tenemus. quamobrem operaepretium facere duximus, si quae hunc hominem in re tam clara perplexum reddiderũt, adducemus, siq. eis respondere conabimur. Sed antequam ad ponendas rationes istas deueniamus, illud prius notare debemus, nos loqui de autumno in regione illa, in qua cetera omnia anni tẽpora, ratione accessus, & recessus solis per qualitates quattuor distinguũtur interse; adeo vt ver temperatum, aestas calida, & sicca; hyems vero frigida, & humida sit. Modo hoc sic se habente, mouetur primo hic vir tali ratione. In eadem distantia est sol, quo ad nos, in tempore autumni, in qua est, etiam tempore veris. Sed ver ratione solis dicitur esse temperatum: ergo pariter & autumnus temperatus erit. Secundo, Ros non fit, nisi cum aer temperiem sortitus fuerit. vt j. meteorolog. dicitur ab Arist. Sed ros gignitur sole existente (dicit Piccolomineus) in signis aequinoctialibus in vere, & autum-

no: ergo ficut ver eft temperatum, pari pacto & autumnus temperatus appellari poterit. Tertio adducit auctoritatem Gal. qui j. de temp. fcriptum reliquit hoc pacto. 4.cap.
Si quis hoc in mundo eft ordo, ac prout melius eft, non "
prout peius, omnia funt difpofita, probabilius fit plura "
quidem ex anni temporibus temperata effe facta; vnum "
vero, fi modo aliquid, intemperatum. Ex quibus verbis concludi poffe arbitratus eft hic vir, fi tria anni tempora ftatuenda funt temperata, autumnum effe temperatum. Sed quantum deceptus fuerit, tum in hac, tum in alijs etiam rationibus adducendis, ex ijs, quae dicemus, omnibus palam fiet. Ad primam enim illam rationem, fi Auicennae dictis ftare volumus; facile refpondebimus. Quod in eadem diftantia reperiatur fol, quo ad nos in autumno, qua in vere dicitur effe, arguit quidem autumnũ in calore, & frigore futurum effe temperatum; vt conceffiffe videtur Auic. ij. fen tract. j. Sed propter hoc non tollitur, quin in ficcitate dicatur effe expers tẽperiei. quae quidem ficcitas ex praeexiftentis aeftatis temperamento adhuc immodica, excedenfq. reperitur. Tu autem teneris oftendere hanc eandem diftantiam aequalem illum reddere in omnibus qualitatibus, fi vis eum prorfus effe temperatum, ficut eft ver. Si dixeris tolli ficcitatem ex frigore imminente, & quo quo pacto exiftente; non diffimili modo, quo humiditas veris ex conftitutione hyberna ei adiuncta, tollitur ex calore fuprauenientе; & hoc modo, ficut ver ita autumnum temperatum reddi: tunc dicam cum Auicenna, non adeo poffe frigus in tollenda ficcitate, quantum poteft calor ad imminuendam qualitatem aeris humidam. cum omnis calor exficcet; non autem omnis frigiditas humectare habeat. quare faciliime ver ex humido ad temperatum reducitur, moderato calore exficcante. quod idem in autumno contingere non poteft. Facilius enim eft exficcare, quam humectare. Relinquitur igitur omnino autumnus in qua-

doc. 2. cap 3.

litatibus passiuis distemperatus. & hoc pacto nullum est argumentum Piccolominei volentis ostendere autumnum in omnibus qualitatibus, eo modo, quo ver, esse tẽperatum. Insuper non defuerunt viri clarissimi, qui nequaquam credere voluerũt, ex eadem distantia solis, quo ad nos, in tempore veris, & autumni, posse argui autumnũ in qualitatibus actiuis, calido, scilicet, & frigido, temperatum esse. cum non sufficiat dicere; idem est agens eodem pacto propinquum, vel remotum: ergo & idem effectus. cum praeter id, requiratur etiam eadem dispositio in patiente. Quamobrem cum aeris dispositio in autumno, sit longe diuersa ab ea, quae tempore veris reperitur, non potest prouenire eadem temperies in ambobus temporibus. Nam tempore autumni aer dicitur esse maxime rarus, ac subtilis: ad suscipiendam vero quamcunq. impressionem quã aptissimus. & eam ob caussam euenit; quod recedente sole a nobis, statim inducitur frigiditas in autumno. admisso iterum calore, & sole, incalescit mirum immodum aer. In vere vero res longe secus se habet. quod ex eo manifestissimum euadit, quod nulla inaequalitas, quo ad calorem, & frigus percipiatur. Non valet igitur, est eadem distantia solis, quo ad nos, ergo eadem aeris qualitas. quia non est eadem aeris dispositio in vtroq. tempore ad suscipiendum calorem, & temperiem. Quae, cum ita sint, quis est, qui non videat huius viri hac in re manifestissimam deceptionem? Sed transeamus ad secundam ab Aristotele desumptam rationem. Quae, dato etiam, quod Arist. diceret; rorem fieri, quando sol (quod tamen ipse non asserit) reperitur in signis aequinoctialibus, nihil probaret. ostenderet enim haec ratio, & auctoritas Arist. ad hoc vt ros fiat, opus esse nec intenso frigore, nec intenso calore, vt ipse dicit. Sed tamen concludendum non est, propter quod fit Ros in autumno; ideo autumnum, quo ad omnes qualitates, esse temperatum. quemadmodum ver esse dicitur; quia potest

poteſt ſtare; quod ros generetur in quadam aeris conſtitutione, quae nec adeo erit frigida, nec adeo calida, quemadmodum in aeſtate, & in hyeme homines percipiunt; quae tamen non erit temperata: immo in ſiccitate non pauco excedet interuallo. Praeterea etiam dato, quod Ariſt.dixerit in ſignis aequinoctialibus, nil concluditur. quia ſi intelligit tempore aequinoctij rorem maxime fieri, quia maxime temperatus ſit aer, hoc pacto conſtituet autumnum temperatum, quo ad minimam partem ſui. quia exactum aequinoctiū ad multos dies nō extenditur. Demus etiam tunc temporis exactiſſimam aeris temperiem inueniri, hocq. ad plures extendi dies, noctesq. erit ne propter hoc dicendum totum autumnum eſſe temperatum? minime quidem iudicio meo. Praeterea etiam ſi principium autumni eſſet temperatiſſimum, & adhuc magis; quā veris initium; quod ſaepiſſime in noſtra hac regione intemperatiſſimum extat, nec ob hoc totus autumnus temperatus, vt ver, eſſet appellandus. Reſtat vt ad Galeni verba, quae obijciuntur reſpondeamus, in quibus ſi cortex tantummodo conſiderabitur, vt fecit hic vir; tria erunt cōſtituenda anni tempora temperata; vnum vero intemperatum. concedatur ver, & autumnum eſſe temperata, quaero ab eo, quod nam aliorum aeſtatis ſcilicet, & hyemis erit temperatum; quod ue illud, quod diſtemperatum ponendum erit? profecto ne verbum qui dem, quod habeat ad reſpondendum, certo ſcio. Quis nam igitur ſit ſenſus horum verborum declaremus nos. Galenus eo in loco diſputat contra antiquos aſſerentes ver eſſe calidum, & humidum; & hoc modo temperatum. quia credebant quaecunq. eſſent calida, & humida, eadem & temperata eſſe. Aduerſus quos dicit Galenus, tantum diſtare hanc ſententiam a veritate, vt potius ſi tale ponatur ver, illud inteperatiſſimum exiſtere confitē dum eſſet. Cum tamen inconeuiens ſit naturam in diſponendis anni partibus tempora alia tria, conſtituiſſe tem-

perata; ideſt, talia vt minime letalia ſint; ver autem intemperatiſſimum, & naturae humanae maxime incommodum, ac peſtiferum. hic eſt verus horum verborum intellectus. Ne quis autem mirari poſſit me expoſuiſſe temperata, ideſt, minime letalia; eundem videre poterit Piccolomineum, qui propriam hanc, quam nunc narraturus ſum temperati expoſitionē admiſit, vbi de vere loquebatur. Regionem aliquam temperatam eſſe duobus modis dicere poſſumus; vno quidem, quando nec calor frigus; nec frigus calorem; ſiccitas ue humiditatem, aut e contra, humiditas ſiccitatem; nec aliquo alio modo vna qualitas aliam ſuperat, & vincit. Alio modo dicitur regio temperata, cum ſtatis ſingulis anni temporibus ſingulae qualitates, quae in aere dominari debent, praedominantur, inueniūturq.; adeo vt (vtar autem verbis Hipp.) tempeſtiua tempeſtiuis reddātur temporibus. in qua quidem ſignificatione non exquiſite vſurpatur vox temperata, prout vnicuiq. patet. Quando igitur appellauit Galenus alias tres partes anni temperatas, voluit dicere tales, & huiuſmodi praeditas qualitatibus, vt minime letales eſſe dicantur. quod eueniet, cum tēpeſtiua tempeſtiue certis quibuſdam temporibus reddi contigerit; vt, ſcilicet, aeſtas ſit calida, & ſicca; quando ita ſe ſe habere debet. ſic hyems frigida, & humida, quando eam talem eſſe natura uoluit. & ſic de ſingulis. Igitur inconueniens eſſet naturam feciſſe haec tempora, hoc pacto tā optime interſe diſpoſita, vt exinde commode viuerent animalia; ver autem intemperatiſſimum, & letaliſſimū conſtituiſſe. ibi enim probare intendit, quod ſi ver eſſet calidum, & humidum, eſſet maxime peſtiferum, & vitae inimicum. Nullum igitur faciunt negotium hae rationes ad autumni temperaturam in dubium reuocandā. quae fuerunt ab hoc homine tanti factae, vt has ſoluere praetermiſerit, remq. ſub dubium adhuc reliquerit, ad quas haec pauca ſufficiat dixiſſe.

XXXVI.

Hyeme autem inualente bilis refrigeſcens minuitur, pituita uero rurſum & ex multis pluuijs, atq. etiá ex longis augetur noctibus.

COMMENTARIVS.

In oſtendendo incremento, & decremento humorum per anni tempora vſus eſt Hipp. veluti circulo. in id enim a quo incipit, deſinit. ab hyeme enim, & a pituita auſpicatus, in eadem etiam ſermonem ſuum concludit. & ratio cur bis de hyeme verba fecerit eſt: quia cum ſuperius tempore hyemis oſtendiſſet ſolum fieri augumentum pituitae, cumq. ſibi propoſuiſſet, & etiá decrementum humorum oſtendere velle, ideo neceſſe fuit in hyemem deſinere; vt bilis minui per id tempus demonſtraretur. Sed ex Hipp. verbis hoc in loco poterit quis inſtare tali pacto: Superius omnis auctionis, & diminutionis humorũ cauſſa relata fuit in ſimilitudinem, quam habent interſe anni partes, & humores. & hoc praecipue oſtenſum eſt, cum de pituita verba haberentur. At nunc alias videtur huius rei cauſſas aſſignare Hipp. cum dicit pituitam rurſus augeri tempore hyemis ex multitudine pluuiarum, & ex longitudine noctium. Inſuper ſi vera ſunt, quae dixit hic Hipp. manifeſta aderit hoc in loco cum Galeno controuerſia. qui j. aphor. dicit. Somnos fieri longiſſimos tempore hyberno, propter noctium longitudinem. & aſſerit iſtud non parum conferre ad omnes operationes naturales. Modo his ſtantibus dicam ego & concoctiones adiuuari ex longitudine noctium per hybernum tempus; cum ſomni ſint longiſſimi. quare multo minus deberet augeri per id tempus pituita. Ad has obiectiones facilis eſt reſponſio. Non vt innuat diuerſam cauſſam a frigiditate, & humiditate hyemis ad generandam pituitam dixit Hipp, pluuiarum multitudinem, & noctium longitudinem. Sed vt haſce qualitates in ea tempeſtate reperi-

15.expo.

ri demonstraret, vt ait Galenus humidam enim esse hyemem ostendit ex multitudine pluuiarum: frigidam vero ex longitudine noctium. Siquidem cum adeo sunt longae noctes, sol magis recedit a puncto verticis capitis nostri, quem Zenith appellant. e cuius longitudine aer ambiens maxime frigidus fit. prima igitur obiectio nulla est. Ad secundam dicimus. non ob id pituita augeri hyeme dicitur, quia noctes sint longissimae: sed quia tempus istud est frigidum, & humidum. neq. pariter hyberno tempore adiuuantur concoctiones per longitudinem noctium: sed propter somnos, qui longissimi fiunt. adeo vt in ijs, qui tanto somno non vtuntur, noctium protractionem magis facere ad pituitam augendam, quam ad concoctionem, & ad operationes naturales optime perficiendas manifesto conspiciamus. vt hic apud Hipp. dicitur. corruit igitur non minus & secundũ obiectum.

Galenus in expositione Hipp. aduersautem sibi in iu-
15.aphor. dicium reuocat, cum scripserit j.aphor. Ventres hyeme, & vere natura calidissimos esse, & somnos tunc temporis longissimos fieri, &c. Ex quibus concludit, quia melius concoquunt, plures exhibendos esse cibos, quam per alia tempora. At hic dicit pituitam per hoc tempus maxime augeri: cum totũ oppositum; si vera sunt, quae in aphorismis scripta sunt, dicere deberemus. Multas igitur tradit Galenus caussas, cur etiam quod ventres sint calidiores, nihilominus generetur pituita hyberno tempore, quas quidem, cum ex se clarissimae euadant, non connumerabo. Verum hoc in loco illud minime silentio inuoluere volui, excellentissimum virum, & de re medica optime meritum, vt dissensionem hanc inter hunc, & aphorismorum locum, tolleret, dixisse. quod quando Hipp. j.aphor. affirmauit, ventres hyeme esse calidiores, &c. illud ĩtellexisse de corporibus optime dispositis, & sanis. in quibus ratione caliditatis minime debet multiplicari pituita. hoc vero in loco, quando dicit pituitam maxi-

me augeri hyberno tempore, credidit hic vir Hipp. loqui de corporibus praeternaturam dispositis, & aegris; & hoc pacto solui controuersiã. Quod quidẽ quantum a veritate alienum sit, non est adeo ignarus, qui non videat. Quo nam enim pacto hoc in loco ostenderet Hipp. loqui de aegris corporibus? Praeterea cum institutum sit huius libri velle demonstrare quattuor humores esse corporis humani elementa, quid turpius; quid ue a proposito sibi scopo longius imaginari poterit; quam istud demonstrare in corporibus aegrotantibus; & de humoribus praeternaturam constitutis? nihil mea quidem sententia. Multa etiam protulit hic vir aduersus ea, quae dixit Gal. hoc in loco. vbi quo modo pituita existentibus ventribus calidis, augeri possit, caussas ostendit. quibus omnibus libenter respondissem: nisi longe maiorem orationem requirerent, quam ex officio meo praestare possim. Postmodum illud mihi facile persuadeo, vt ex hac sua huius loci interpretatione, capere possint lectores, quantum valeant ea, quae aduersus Galenum dicit. In quibus doctissimi viri verbis illud animaduertere lectores poterunt, eum, dum caussas a Galeno connumeratas ad capita reuocat, praetermisisse caussam, quae assignatur a Galeno sumpta ex multitubine cibariorum. quae quanti sit facienda, ostendit Alexãder siue Aphrodiseus, siue Medicus (vt volunt nonnulli) fuerit; qui ij. problem. illorum, quae Aphrodisei nomine circumferuntur; huius negotij in multitudinem cibariorum caussam tantummodo refert. vt ex ipsius verbis, quae sunt haec, vnusquisq. cognoscere poterit. Cur pituitam per hyemem » 5.proble.
nasci, augeriq. solitum est, cum per id tempus parte in- »
teriore corporis simus calidiores, vt Hipp. med. lib. aph. »
scribit? Quoniam cibos, quos per hyemem largius su- »
mimus, venter minime cõcoquere potest. ergo larga ista »
ciborum copia pressus, calore insito quasi extincto pitui- »
tã per refrigerationem gignit. qui sanguis imperfectus »

„ quidam non perperam poteſt appellari.

Vbi connumerat Galenus cibaria, quae per tempus hyemis comeduntur, dicit; καὶ βολὸς δὲ, καὶ κοχλίας, καὶ τυρόν. Trincauelius notat ſe alijs in codicibus legiſſe hoc pacto, καὶ βολὸς δὲ καὶ κοχλίας, καὶ ᾠά, καὶ τυρόν.

XXXVII.

Itaque haec omnia perpetuo in humano habentur corpore. quae tamen pro ratione inſtantis temporis particulatim, & ex natura ſingula nunc augentur, nunc imminuuntur.

COMMENTARIVS.

Dictum eſt quattuor humores eſſe ſecundum naturam, & congenitos; & a qualitatibus ambientis nos aeris ſecundum diuerſas anni partes incrementum, & decrementum pati ſolere: nunc omnium, veluti epilogus, ſunt verba haec; in quibus dicit Hipp. quod humores perpetuo in corpore noſtro reperiuntur; qui pro diuerſitate qualitatum circunſtantis aeris augeſcunt. quando, ſcilicet, ſimilitudine inter ſe concordes ſunt & anni tempeſtates, & humores. & diminuuntur tunc temporis, cum ſibi diſſimiles fuerint. & hoc eis euenit, & ſecundum partes anni; nam ſanguis vere, bilis aeſtate augetur: & ſic de ceteris. & ſecundum naturam: quod dixit Hipp. vel ad totum annum reſpiciens; ſi enim totus annus eſſet pluuioſus, frigidus, & humidus, tunc humores varij non augerētur pro diuerſitate partium, & tempeſtatum ipſius anni, ſed pro qualitate in aere per totum annum dominante, humorem vnum tantum augeri facile contigeret. & ſic non immutarentur ſecundum anni partes. Vel dixit Hipp. ſecundum naturam, de partibus ipſius anni intelligens; quia non ſemper euenit vt ver ſit calidum, & humidum; quemadmodum dicit Hipp. vel temperatum, vt ait

Galenus, & tunc non est necesse, vt humor augeatur, qui tunc temporis solitus est augeri; vt puta sanguis: sed pro diuersitate qualitatum modo vnus, modo alter incrementum, & decrementum accipiet. Verba illa Hipp. κατὰ μέρος, καὶ κατὰ φύσιν, intelligibiliores forsan efficietur, si latine vertantur. & secundum partes, & secundum naturam, vt fecerint nonnulli. quam particulatim, & ex natura: vt dixit Trincauelius. Vtroq. tamen modo & intelligi, & constare possunt.

XXXIIX.

Porro ut annus uniuersus omnium particeps est tam calidorũ, & frigidorum; quam humidorum, & siccorum: nam nihil ullo unquam tempore sine ijs omnibus, quae in hoc mundo sunt, consistere posset. Immo si uel unum quippiam desit, cetera etiam omnia aboleantur: quia omnia eadem necessitate constituta sunt, mutuoque ab se aluntur.

COMMENTARIVS.

Quoniam superius dixerat Hipp. si contigerit hominẽ aliquo eorum, quae cognata sunt, priuari; illico moriturum; idcirco illud in praesentia ostendere vult, ne quid absq. probatione ab se scriptum relinquatur. Quod vt commode faciat, nequaquam discedens ab anni similitudine, accipit eodem modo hominem humorum participem esse, quo pacto annus dicitur esse particeps quattuor qualitatum; calidi, frigidi, humidi, & sicci. Infert deinde, quod sicut annus, non esset amplius annus, si aliquo horum priuaretur, ita & homo, non esset amplius homo, si aliquo quattuor humorum penitus priuaretur. & hoc pacto non solum ostendit dictum suum veritatem obtinere; quando, scilicet, affirmauit; si aliquo quattuor humorum destitutus fuerit homo, morietur; sed etiam noua 27.tex.

ratione probare haec humanae naturae esse elementa probabiliter affirmare poterimus. quoniam nisi omnes adessent, & vnus deficeret, illico mors induceretur. ergo signum est hominem ex ijs compositum, & conformatum fuisse. Ait igitur Hipp. similitudine desumpta ab anno. Sicut annus, cum ad hoc, vt sit annus secundum naturam dispositus, idest, ad hoc vt diuersas habeat in suis partibus tempestates, particeps debet esse diuersis in temporibus calidi, frigidi, humidi, & sicci: si contingeret aliquo horum carere, non esset amplius annus, idest, in eo, non essent partes illae, quae ei secundum naturam inesse debent. Immo si propter consumationem (vt ita dicam) destrueretur vnum ex elementis, non tantum annus, sed mundus etiam totus deficeret. vt ex Arist. j. meteorolog. sumere possumus. Ita & humanum corpus, si penitus aliquo quattuor humorum priuaretur, necessario interiret. ergo quemadmodum dicimus annum calido, frigido, & ceteris ablatis non esse amplius annum; ita & erit verum idem de homine, deq. humoribus asserere. *Porro ut annus uniuersus. &c.* quemadmodum annus diuersis in temporibus necessario constat ex calido, frigido, humido, & sicco. hocq. non de quocumq. calido, frigido, humido, & sicco, quae per excellentiam ita dicuntur, intelligendũ esse notat Galenus; sed de elementaribus qualitatibus verba Hipp. interpretanda sunt, hoc pacto: quemadmodum annus participat calores, & frigores, & ceteras qualitates, quae propriae elementis tribuuntur. &c. Quod vt probet subiungit sequentia verba. *nam nihil ullo unquã tempore. &c.* idest, quod annus sit particeps calidi, frigidi, & ceterorum, patet; quia omnia ea, quae sunt in mundo rerum generabilium, & corruptibilium ex ijs con stãt, scilicet, ex elementis, elementorum ue qualitatibus. Quae Hipp. vt philosophus supponit. tamquam ea, quae ex philosophia petenda sunt. Deinde debebat concludere Hipp. sine ijs consistere non potest. vt sensus totius

rationis

rationis esset. quemadmodum annus, qui ex calido, frigido, & ceteris componitur qualitatibus, non est amplius annus, cum alicuius harum expers fuerit, &c. Sed quia dixerat, omnia ex quattuor elementis cōstituta esse, ideo vniuersaliter protulit; aliquo ipsorum penitus deficiente, omnia corruptum iri, non tantum annum. Quod vero omnia destrui contingat horum aliquo ablato, breuissime probat Hipp. quia omnia eadem necessitate constituta sunt; vt, scilicet, ex elementis nutriantur, augeantur, & conseruentur. vt etiam elementa ex se ipsis alimẽtum accipiant. vt pluribus in locis ab Arist. monstratum fuit. & quemadmodum ostendit in expositione Galenus. in qua, si pura, & syncera essent elementa, minime cetera, quae ex ijs constant fieri, & augeri posse, probat. Quibus subscripsit Auerroes his verbis, quae iiij. meteorol. scripta reliquit. Si ignis esset calor, & siccitas esset in eo in fine, & sic frigiditas, & humiditas in aqua, numquam temperarentur, & admiscerentur ignis, & aqua, & facerent aliquid: & propter hoc, quod siccitas ignis non est in fine, nec humiditas in aqua, potuit esse, quod vnum esset potentius, & ideo admiscent se. Ad hoc igitur vt elementa ex se inuicem materiam suae nutritionis, & sui quandoq. ortus, accipere possint, necesse fuit, ea non esse summis qualitatibus praedita, nec syncera; vt supra notauimus. & non solum ignis, vt dicit hic Galenus, est particeps aereae, & fumosae cuiusdam qualitatis, & ad sui nutritionem humore indiget; sed ex Arist. j. meteor. ignem, & aerem, & aquam, & terram, vicissim ex se oriri, eorumq. singula in singulis esse potestate dicimus. adeo vt verum sit affirmare in terra ignem, aerẽ, & aquã; in aqua similiter, & in ceteris, cetera inueniri elementa.

XXXIX.

Sic autem, si aliquid etiam eorum, quae cognata sunt, in homine deficiat, fieri nequit, ut ille uiuat.

COMMENTARIVS.

Textus hic praeter conclusionem, quae ex superius traditis infertur, nil aliud concludit. Sicut igitur annus, non est amplius annus, eo pacto, quo exposuimus; si vna ex suis praecipuis partibus defecerit; ita pariter & homo, non est amplius homo, si vel sanguis, vel bilis, vel aliquis alius humor destruetur. ex quo patet, quod sicuti ad annum constituendum necesse est modo hanc, modo illam praedominari qualitatem; ita & in homine perpetuo opus est quattuor humoribus; sin minus non esset amplius homo. De anno respectu suae regionis locutum fuisse Hipp. nemo est, qui ambigere debeat. in qua sicuti, & in Italia, ratione diuersarum qualitatum, & per mutationum aeris, partes inter se diuersas, & distinctas sortitus est annus. Hoc annotare volui, ne quis credat Hipp. dictum verum esse in omni mundi climate. Siquidem ijs, qui sub polum vtrumq. habitant (modo ijs in locis habitari possit) annus alio modo se habet. Nam quo ad solem, diuiditur annus in diem vnam tantummodo, & noctem vnam: quorum vtrumq. spacio sex mensium perdurat. quo vero ad aeris qualitates, sex menses habent frigidissimos, alios vero neq. tepidos dixerim. Quibus in locis, si quis vellet diuidere annum eo modo, quo nos facimus, quam maxime deciperetur. Idem dici potest de ijs, qui sub aequinoctiali incolunt. quibus sol est in eadem distantia; tam in tempore illo, quod respectu nostri est aestas; quā in illo; quod hyemem appellamus. Nec miretur quis Hipp. asserere annum a propria natura defecturum, si ex eius constitutionibus altera defecerit, cum in omni regione, eodem pacto minime diuidatur. Siquidem, quae pro exemplis ad aliquid ostendendum, sumimus; sat est pro parte veritati consona esse, vt hoc in loco facile est videre. Nam sicut nobis annus, qui se-

eundum naturam quattuor distinctas habet partes, non esset amplius annus aliqua ipsarum deficiente: ita pariter & homo, non esset homo, ex humoribus vno, vel altero deficiente. quod non minus consequitur, si annum accipiamus quatenus apud nos destinguitur; quã si & apud gentes omnes eodem prorsus pacto se se haberet.

Ad Galenum deueniamus, qui alio etiam modo humores vsui esse hominibus indicare voluit, ex alijs argumentis, ac fecerit Hippocrates. & inquit, succos istos maxime facere ad conformandos, componendosq. mores in hominibus. Illud primo notari debet, morum alios esse insitos a natura ab humoribus, & a temperatura; quam vnusquisq. sortitus est, prouenientes. vt timiditas, audacia, & huiusmodi. alios vero ex philosophia parandos, vt iustitia, continentia, & similes; qui ab humoribus minime ortum ducunt. auctore Gal. lib. artis medic. Secundo animaduertendum melancholiam praeter ingenij 36. cap. acumen, ob constantiam, quam hominibus, qui huiusmodi succo maxime participant, impertit; ad scientias, & artes inueniendas, capescendas, excolendasq. maxime conducere. adeo vt bellissime Aristoteli occasionẽ praebuerit inuestigandi, cur omnes sapientes fuerint melancholici. Ceterum qui de moribus ex temperaturis, & humoribus prouenientibus exquisitius rem tenere cupiunt, accedãt ad lib. j. de anima Arist. & ad Gal. in illo volu. in quo probauit animi mores tẽperaturã corporis insequi.

XL.

Vt autem in anno quandoq. hyems maxime uiget, aliquando uer, nonnumquam aestas, alias uero autumnus: sic & in homine semel pituita multum ualet, postea sanguis, mox bilis, & prius flaua, deinde atra.

COMMENTARIVS.

Ex eadem similitudine anni humores variari, & modo augeri, modo minui; quemadmodum in anno modo ca-

lidum, modo frigidũ, & ceteras praepollere qualitates, pronuntiat. quorum omnium, cum iam supra redditae fuerint rationes, & caussae demonstratae; cumq. dictio, vt ait Gal. obscuritate careat; nullo alio haec verba indigere iudicauimus.

XLI.

Huic clarissime testatur, quod si homini idem medicamentum quatter in anno dare uolueris, hyeme pituitosissima ille tibi euomet, uere humidissima, aestate biliosissima, autumno nigerrima.

COMMENTARIVS.

Idem & hic adducit signum a medicamentis purgantibus sumptum ad ostendendum quattuor humores modo minui, modo augeri secundum diuersa anni tempora; & modo hunc, modo illum, pro varietate tempestatum, dominari: quod etiam supra attulit ad confirmandum haec cognata, & congenita esse. quemadmodũ nos quoq. exposuimus. *Si igitur idem medicamentum quatter in anno exhibueris, &c.* Hic per idem medicamentum non aliquod ex ijs, quae vnum tantum genus humoris euacuant, vt est Agaricus, vel Rhabarbarum, intelligerem; quia huiusmodi medicamentum semper & in omni anni tempore propriũ familiareq. habet extrahere succum, magis quã alios; sin minus male medicorum negotium absolueretur. Sed per idem medicamentum quatter in anno exhibendum, vellem potius vt compositum quoddam, quod quattuor aequaliter humores educere debeat, intelligeremus; quo quidem exhibito indubitanter certe crediderim, maiorem semper fieri euacuationem illius humoris, qui proportioni anni tempori responderet; quam aliorũ. & hoc pacto nulla poterit ingeri in dictis Hip. dubitatio Aliud insuper hoc in loco animaduersione dignum mihi est visum. Nam supra Hipp. dum probare vellet quat-

tuor humores semper reperiri in corpore humano; cumq. deuenisset ad sanguinem, non probauit eum adinueniri ex euacuatione facta per pharmacum; cuius etiam rei supra rationem diximus; quia quae trahunt sanguinem venena, & non medicamenta dicuntur esse; sed per fluxionem ex vulnere iniecto. hic tamen visus est vti probatione illa, quam supra respuit. cum dicat, si medicamentũ dederis alicui homini quater in anno, tempore veris is euomet humidiora. non igitur sibi ipsi constat Hipp. Dicerem non absurdum esse Hipp. hic aliquantisper dissentire ab eo, quod supra dixerit; cum quae nunc dicuntur hoc in loco, tanquam ea, quae supra exacte tractata fuere, repetantur; & veluti in epilogũ reducantur. Praeterea non est dissonum etiam tempore veris ex pharmaco assumpto euacuari superfluitates aliquas humidiores, quae minime sanguis dici poterunt, & tamen sanguinem per id tempus increuisse demonstrent, quamuis sanguis non euacuetur: nam sanguine increscente, & suum ichorem etiam augeri necessario fateri debemus, qui, si medicamentum exhibitum fuerit, facile euacuari poterit in aliqua quantitate. & hoc pacto erit signum sanguinis superabundantis. Recte igitur, & optime dixit Hipp. hic, & supra; minimeq. sibi ipsi aduersatur. & tanto minus si iuxta secũdam expositionem nostram verbũ, *humidissima*, non pro sanguine, sed pro eius ichore, superfluitatibusq. intelligemus.

XLII.

Porro his ita se habentibus, conuenit ut morbi, qui hyeme augentur, aestate finiantur. qui uero aestate inualescunt, ut hyeme desinant. praeterquam quae dierum circuitu soluuntur (dierum uero circuitum alias explicabo.) A morbis, qui uere oriuntur, autumno expectãda est euasio; & ab autumnalibus uere liberari necesse est. Id autem nouisse oportet, quod necesse est, ut morbus, qui haec tempora euaserit, iam annuus euadat,

COMMENTARIVS.

Inter varias, ac multas vtilitates, quas allaturus est hic liber ad medicos, in quo de natura humana, quatenus homo ex quattuor humoribus compositus est, differitur; duas in istis, & sequentibus verbis attulit Hipp. quae quidem omnes alias magnopere antecedunt. quarum prima, quae hac in particula ponitur, est. quod medicus ex traditis in hoc libro, sciet de morbis ijs, qui acuti non dicuntur, sed quia ad multum tempus protrahuntur chronici appellati sunt, prognosticari; & solutiones eorum praedicere per longum temporis interuallum, antequam euanescant. Altera est, quod habita diuersa ratione ad diuersos humores alijs atq. alijs temporibus dominãtes, optime valebit aduersus illos tunc temporis, quãdo quis aegrotabit, praeualentes curationes aggredi, & conuenientia medicamenta afferre. quod minime sciret, nisi ex hoc libro, qui nam hyeme, qui vere, qui aestate, & qui autumno augeri, & minui dicuntur, didicisset. Quae quidem minime latuerunt Gal. vtilitates. Siquidem in describenda methodo, quam hoc in libro seruauit Hipp. » de his hoc pacto verba habuit. Et inuenit quidem, quod » ad huiuscemodi scopos (scilicet, ad incrementum, & de- » crementum humorum) referre oportet, tum praedictio- » nes solutionis morborum, tum etiam curationes. Quod hoc exemplo manifesto ostendi poterit. sit, qui laboret hyeme media febre quotidiana, vel morbo aliquo alio, vt puta destillatione frigida a cerebro ad pectus; quae omnia ex pituita suam ducunt originem. difficile erit, vt hic tam cito liber euadat. siquidem hyems quotidie magis, ac magis pituitosum adauget humorem. vt supra vidimus. qui etiam ad ver vsq. extenditur. quamobrem illud manifestum relinquitur, morbos istos exitum non consecuturos, quo vsq. non aduentet tempus, in quo de-

crescat humor pituitosus. quod non fiet priusquã aestas inualuerit. monstratum enim est pituitam per id tempus minui, & ad nihilum fere redigi. quae omnia si quis diligenter memoriae mandauerit, minime ambiget, morbos istos iudicari haud posse, priusquam desierit hyems, adueneritq. aestas. & si aestatem etiam excesserint, eos annuos fore, haud dubie praedicere poterit. Insuper quo modo ambigere poterit quis, an medicamenta pituitam educentia magis cõueniant hyeme, an alijs temporibus? nemo sane, qui hunc librum semel legerit: nisi vel quam ignarus, vel priscae medicinae, studiosus depopulator. Summa totius rei haec est. ad alia nunc descendamus. Hipp. habet *morbos, qui hyeme incipiunt, aestate desinere debere, &c.* Nam mutationes temporum, si secundum naturam fiant, illud boni nobis adferunt, quod morbos grauissimos, & longissimos discutiunt. quemadmodũ, quae praeternaturam fiunt, vt plurimum morbos faciunt. vt testati sunt Hipp. & Gal. iij. aphor. *Qui uero aestate incipiunt, hyeme desinunt, modo non sint ex eorum genere, qui absoluuntur in dierum circuitu, &c.* Posset quis ambigere, cur magis Hipp. hanc posuerit conditionem, vel potius exceptionem morbis aestiuis, quam alijs, qui alijs fiunt temporibus. Huius dubitationis hanc praeberem solutionẽ. Morbi, qui in aestate fiunt, vt plurimum ex humore bilioso ortum ducunt, vt omnes vno ore fatentur. qui humor facillimae est concoctionis, eductionis, & resolutionis. quibus de caussis facile, citoq. absoluitur. idq. euenit saepissime certo quodam, ac determinato dierum spacio, seu circuitu, qui quandoq. quarto die, nonnumquã septimo, aliquando vndecimo, non raro quartodecimo, saepissime vigesimo clauditur. vel ad summũ (hic enim est vltimus acutorum morborum terminus) ad quadragesimum finitur. quo quidem in tempore, quia statis quibusdam diebus morbos intendere, & iminuere solet natura, ideo illud Hipp. circuitum appellauit. vnde dictũ

est ab eodem alias. Tertiana exquisita, septenis circuitibus (quod longissimum est spacium) iudicatur. Qui vero sint dierum circuitus, pollicetur Hipp. alijs in locis se tractaturum. idque varijs in locis praestitit, tum in lib. progn. tum in aphor. tum etiam in lib. epid. & alibi. Quinimmo inter Hipp. libros connumerātur duo huiusmodi tractationis. quorum alter de diebus decretorijs, alter vero de iudicationibus inscribitur. verum sunt quā plurimi doctissimi viri, qui libros illos spurios, Hippocrateq. indignos credāt. De huiusmodi circuitibus, deq. diebus decretorijs locutus est Gal. tum in lib. de crisib. & de diebus creticis, tum sparsim alijs in locis. Hanc igitur ob caussam, quod morbi aestiui, cum fiant ex humore bilioso tenui, saepissime solent circuitibus dierū absolui, dictum fuit ab Hipp. morbos, qui aestate fiunt, hyeme desinere; nisi sint ex eorum genere, qui acuti dicuntur, & circuitu dierum euanescunt. Cur autem non omnes (dubitabit rursus quis) fiunt acuti in tempore aestatis morbi? curq. non absoluuntur omnes per dies indicatorios; cum ex bile omnes oriantur; vel saltem, qui ex bile nati sunt? Respondet Gal. pluribus in locis. praecipue vero iij. progn. Nam saepe resoluuntur morbi tempore aestatis, & tamen relinquitur pars humorum magis crassa, ex praeexistenti calore assata, & veluti in cinerem redacta. quod maxime euenit in ijs morbis, qui per sudorem soluuntur. quae facile materia apta uel ad prorogandum, vel ad alium aducendum morbum efficitur. si in loco aliquo calido extiterit, & noua humiditate madefacta efferbuerit. Alias duas affert caussas Gal. ij. de diff. febr. cur non seruentur circuitus in morbis, in quibus seruari deberent. quarum vna est, quod quandoq. existente materia in aliquo membro, ex qua fieret morbus ordinatus, & per dierum circuitus accessiones statutas habens, alia superuenit ex alio loco demandata materia, quae totum ordinem peruertit, ac perturbat. Altera malae

[margin: 27. expo.] [margin: vlt. cap.]

malae victus rationi tribuitur; quae si in sanis morborũ caussa esse valet, quanto magis in aegrotantibus valebit, & ad impediendos circuitus,& ad prorogandos morbos. iis igitur de caussis nõ semper fiunt morbi in aestate ordinati;nec semper breui dierũ spacio eosdẽ absolui cõtigit. Alias insuper huius rei adiungere possemus caussas, quas minime silẽtio inuolueremus, si ex professo hac de re nobis fieret sermo. quasq. videre licebit & j.& iij.prognosticorum apud Galenum ipsum. 23.25.ex po. Hic enim sat fuit eas dixisse, quae dubitationem possent e medio tollere. *Morbus, qui haec anni tempora excesserit, iam annuus euadet.* vel vt exponit Galenus, annuus; quia post annum soluatur. vel annuus, quia annis opus habebat ad sui solutionem. quẽadmodum indicauit Hipp. iij.aphor. dum quosdam puerorum morbos septem annis absolui dixit. 28.aphor. Qui adeo cõtumaces sunt morbi, vt tam longo spacio indigeant ad solutinem, tandem desinunt quandoq.ex mutatione aetatis. ut uoluit annotare Hpp. eo in loco. Quantum autẽ possint aetatum mutationes, praeter ea, quae manifeste ab omnibus cernuntur, vt dentiũ ortus, seminis eiectio, barbae emissio, & cetera huiusmodi, satis aperte demonstrauit Hipp.ij.aphor. Vbi in aliquibus iuuenibus morbũ 45.aphor. comitialem solui ratione mutationum aetatis, testatum reliquit. Verum res bene ageretur, si soluerentur saeui adeo morbi omnes saltem ex permutatione aetatis; & minus crudeles ex tẽporũ anni successiuis variationibus. Sed adeo vitae inimici inueniuntur morbi, qui nec mutationes aetatum expectant, nec variationibus temporum cedunt. vt de cachexia scriptum reliquit inter graecos eloquentissimus Araeteus lib.iij.de morbis diuturnis; his vlt.cap. verbis. Cachexiam autumnus concipit, hyems alit, ver ad vltimam vehementiã perducit, aestas vero interimit.

XLIII.

Medicum quoq. sic morbis instare opus est, quasi horum singula in corpore plurimum pro anni tempore, quod maxime ex natura se habet, uigeant.

COMMENTARIVS.

Vtilitatum huius libri alteram in prognostico, alterã in curatione ponebat Hipp. declarauitq. in quo constituta esset, quae ad praedicendum spectabat. Nunc alterã, quae ad curationem attinet, breuiter perstringit. inquiẽs medicum in curandis aegris, illud semper inquirere debere; quis nam ratione temporis anni dominetur, & superabundet humor in corpore hominis. quod quidem ex ijs, quae supra scripta sunt, accipere debet. & pro ratione diuersa, diuersis vti medicamentis, tum purgantibus, tum praeparantibus, vt vocant, & disponentibus humores ad eductionem. *Quod maxime ex natura se habet.* haec propterea adiunxit verba Hipp. quia supra docuerat hyeme pituitam, vere sanguinem, aestate bilem, autumno vero melancholiam augeri. quod minime fieret, nisi annus suam seruaret naturalem dispositionem, & constitutum sibi ordinem. Quod maxime intelligendum est de anno, eo modo affecto, quo Graeciae, vbi scribebat Hipp. quotannis esse solet. vt supra annotauimus. quae etsi aliquantisper sit temperatior Italia, tamen parum differt annus Italis, ab eo, quod tempore Hipp. Graecis contingebat. quamuis forsan ver in dubium reuocari posset. sed de his alias. Vnum dixit, quod huc vsq. me torsit Gal. dum methodum ab Hipp, seruatam, describeret. nam vult eum fecisse mentionem de aetatibus ad ostendendũ augumentum, & diminutionem humorum, cum tamen in hoc libro, ne verbum quidem ad hunc scopum de aetate legere potuerim. Nam quod dicit Galenus in se verum est. immutantur enim humores pro diuersis aetatibus in homine: sed tamen Hipp. istud in hoc libro non dixit. Nec dici potest verbum illud aetatum, ab aliquo forsan in margine scriptum, alicuius scriptoris incuria in textũ irrepsisse. siquidem non minus extra rem esset in margi-

ne, quam sit in verborum serie. Verum nec illud amouere audeo, nec quo pacto dictum fuerit a Galeno diuinare scio.

Singulis partibus ostensum fuit a nobis, quemadmodum in initio expositionis polliciti sumus, vbi res ita postulabat, methodum a Galeno descriptam, omnibus numeris obseruatam fuisse ab Hipp. Verum in hac re relicta sunt adhuc verba illa. Interim vero dum quaereret »
elementa, quibus componitur nostrum corpus, elemen- »
torum totius fecit mentionem. Quae quia a nobis non »
fuerunt aliquo in loco aptata, suspicari forsan posset quis a Galeno inepte inter ostendendum Hipp. artificium interiecta fuisse. Sed si quis ad eorum vim respicere voluerit, nec Galenus tamquam superfluus, nec ego tamquam deficiens accusari poterimus. Nam ex se ostendunt varijs in locis a nobis apponenda fuisse. quamobrem ne lectores vsq. ad satietatem, repetitis ijs verbis infinities, fastideremus; ea vbiq. locorum adscibere noluimus. Sat est, quod qui mentem Hipp. adhibebunt, ex se satis aperte cognoscere poterunt, ea incassum minime scripta fuisse a Galeno. Excellens, pariterq. doctus Cassola verbum illud in fine expositionis, quod scribitur ἀπολογίαν, libentius legit, ἀντιλογίαν, idest, contradictionem. In cuius sententiam manibus, pedibusq. iuimus, tum ob singularem linguae graecae, ac pariter medicae litteraturae peritiam; tum ob grauissimum, seuerissimum iudicium. quo non parum huic meo labori; qua est erg a me animi beneuolentia affectus; profuit.

FINIS.

Venia impetrata a Superioribus.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pagina	linea	Pro	Lege
8	1	innuuit	innuit
12	8	*rationis*	*rationi*
15	29	faciendos	facientes
17	30	ϱὰϱ	γὰρ
20	11	ob id Hipp.	ob id asseruisse Hipp.
27	18	τέασγες	τέασαγες
31	vlt.	fibrae	fibrae
33	4	qui laborantib.	qui in laborantibus
	4	dicitur, saniē	dicitur, reperitur, sāiē
40	1	nulla	multa
41	1	minus	nimis
46	1	propriae	proprie
	4	plerunt	poterunt
	7	*μό μω*	*μό μω*
56	33	generentur	generarent
73	1	ceteros hũores	ceteros inueniri hum.
76	31	morbos	morbus
77	11	egressam	egressum
	17	praedita	praeditus
83	32	dolent	dolere
86	12	dolore	dolere
88	29	ἐπιπολάξοντος	ἐπιπολάζοντος
90	20	*atrã, tũ flauã*	*flauam tum atram*
95	15	euntu	euentu
111	24	alliciant	alliciunt
121	vlti.	calidium	calidum
122	1	certe	recte
	17	calidũ & humidũ	temperatum
147	26	grauissimũ,	grauissimum, ac